DE
ARBITRIS

ILLVSTRIS. JÇTORUM. ORDINIS

LIPSIENSIS. AVCTORITATE

PRO. LICENTIA

SVMMOS. IN. VTROQVE. IVRÉ

HONORES. ADIPISCENDI

DISSERET

M. IOHANN. IACOB. DORNFELD

ADV. ELECT. SAXON.

LIPSIAE. D. XXVIII. SEPTEMBR. ANNO. M DCC XXIV.

EX. OFFICINA. TITIANA.

VIRO

PERILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

GEORGIO. GOTTLIEB

RITTERO

JCTO. CONSVMMATISSIMO

SERENISSIMI. AC. POTENTISSIMI. POLONIARVM. REGIS. AC. ELECTORIS SAXONIÆ

VICE CANCELLARIO

QVEM. LAVDIBVS. IPSO. DIGNIS

NON. PRIVATI. HOMINIS. CALAMVS

SED

VOX. JVRIS. ET. JVSTITIÆ

PATRIÆ. MERITIS. CVMVLATÆ. ADMIRATIO

IPSIVS. REGIS. CVI. PAREM. EVROPA. NESCIT

JVDICIVM. AMOR. GRATIA

EVEHERE. TANTVM. POSSVNT

DISSERTATIONEM. HANC

TENVISSIMAM. QVAMVIS. OPELLAM

SACRAM. ESSE. CVPIT

AVTOR.

VIR PERILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME

CUm NOMINIS TVI fulgorem ingenii mei atque opellæ hujus obſcuritati inſerere auſus ſim, pietatis ac reverentiæ profeſſione me veniam im-

)(3 *petra-*

petraturum confisus, fore ut placide oculos ad hæc vertas, & juvenilia nondum satis recocti judicii meditamenta vel uno adspectu digneris. Non despicies opinor, TE TVAQVE altius admirantis obsequium, nec vota, summi honoris gratia, Tuis famulis admisceri cupientis, omnino damnabis. Quod si, namque potes, clementiæ TVAE aris advolvi supplicem sinas, spes inde largior mihi atque audacia consurgit, ut ad aram munificentiæ TVAE procumbens, deinceps professæ pietatis libamina adferam, cui minutas hactenus thuris glebas latenter ac surda manu numeravi. Cui

enim

enim magis quam TIBI ſacrum me & cuncta mea vellem, TIBI, quem Regis Maximi Judicium adminiſtrandæ Provinciis ſuis juſtitiæ parem cenſuit, ac TE prudentia ac dexteritate præſtantem ex Procerum flore delegit, ut ad mortales ſapientiæ TVAE arcana deferres, atque in Orbe Saxonico hinc & inde oracula ederes. Gentium moribus nulli unquam vitio fuit Deos colere quoquo modo poſſet; TE Muſarum Præſidem colit Saxonica Gens, venerantur cuncti, TE vero religioſius obſervandi mihi ſola facultas relicta eſt, Numenque in vota vocandi, ut Graviſſimo TVO Judicio, ac Gratia

TVA

TVA non indignum me reddat, & illam, quæ aliquando in laudibus TVIS plenius exequendis ſatisfaciat pietati, inſpiret mentem

PERILLVSTRIS EXCELLENTIAE
TVAE

Humillimo Clienti
JOANNI. JACOBO. DORNFELDIO.

SVMMARIA.

§. I. *In Statu naturali nullus datur judex.*

§. II. *Æquitate & ex arbitrio boni viri res veniunt dijudicandæ.*

§. III. *Pactum inter Partes & Arbitrum initum est nullum.*

§. IV. *Officium Arbitri.*

§. V. *Arbitri ex Jure Gentium demonstrati.*

§. VI. *Recepti varia significatio.*

§. VII. *Etymologia Vocis Arbitri variusque significatus.*

§. VIII. *Origo & Constitutio Arbitrorum.*

§. IX. *Potestas Arbitrorum in jure dicendo, ipsorumque sententia s. Laudum homologatum.*

§. X. *Definitio Arbitri.*

§. XI. *Divisio Arbitrorum.*

§. XII. *Arbiter Juris Civilis.*

§. XIII. *Divisio Compromissorum; quibus & in quos compromittere licitum est.*

§. I.

§. I.

Cum non omnibus mortalibus ea ſit ingenii indoles mentisque bonitas, ut, lege naturali id jubente, ultro præſtent, & exhibeant invicem ea, quæ quocunque nomine aliis debent, ac damnorum, ſi quæ aliis data ſunt, reparationem ultro offerant, dubitari non poterit, quin data quavis occaſione de exercitio certorum jurium, certitudine ac quantitate debiti, interpretatione pactorum, gravitate offenſionis, taxatione damni dati, competentia jurium, de regundis finibus, aliisque prætenſionibus quamplurimis, controverſiæ exoriantur graviſſimæ. Ita lex præcipit naturalis, ut qui alterum injuria aut infamia involvit, ſeria ducatur facti pœnitentia, fidemque det de omittenda amplius offenſione, ſancteque ſervando pacto amicitiæ. Quod ſi ejuſmodi pœnitentia non per modum violentiæ, aut alium vindictæ lubidine exortum animi motum expreſſa, ſed ultro, ipſo pacis amore, ac pro colenda conſervandaque juſtitiæ ſecuritate, facta ſit, de emendato lædentis animo, ſufficienti judicio utique conſtat. Hinc ex adverſo læ-

ſus oblata ipſi damni reparatione alteri pacem veniamque petenti lubentius ex animo ignoſcere pacemque colere omnino tenetur; ſi vero per vindictæ lubidinem ac iracundiam pacem abrumpat, ſibi ſoli belli temere moti culpam tribuat neceſſe eſt. Inſigniter ad rem facit C. Pontii oratio apud Livium (a) *Ne nihil actum*, inquit, *hac legatione cenſeatis, expiatum eſt quicquid ex fœdere rupto irarum in nos cœleſtium fuit. Satis ſcio, quibuscunque diis cordi fuit, ſubigi nos ad neceſſitatem dedendi res, quæ a nobis ex fœdere repetitæ fuerant; iis non fuiſſe cordi tam ſuperbe ab Romanis fœderis expiationem ſpretam. Quid enim ultra fieri, ad placendos Deos mitigandosque homines potuit, quam quod nos fecimus? Res hoſtium in præda captas, quæ belli jure noſtræ videbantur, remiſimus: auctores belli, quia vivos non potuimus, perfunctos jam fato dedidimus: bona eorum, ne quid ex contagione noxæ remaneret penes nos, Romam portavimus. Quid ultra tibi, Romane, quid fœderi, quid Diis arbitris fœderis debeo? quem tibi tuarum irarum, quem meorum ſuppliciorum judicem feram, neminem neque populum, neque privatum fugio.* Inhumanum ſatis vereque belluinum eſt, non niſi remoto iracundiæ objecto acquieſcere, ſemelque inimicitias ſuſpectas in æternum alere. Eorum qui in ſtatu naturali vivunt, hoc eſt præcipuum jus, quod nemini præterquam ipſi Deo ſint ſubjecti, atque obnoxii. Quo reſpectu etiam ille ſtatus nomine libertatis naturalis venit, per quam quilibet citra antegreſſum factum humanum ſui juris poteſtatisque, ac nullius hominis imperio ſubjectus eſſe intelligitur. Quo ſenſu quoque quilibet cuivis alteri, cui neque ipſe ſubjectus eſt, neque eundem ſibi ſubjectum habet, non virium, ſed ordinis & juriſdictionis, dum alteri in alterum

non

non competit imperium, & alter alteri ſe præferre non poteſt, æqualis cenſetur. Prælucente igitur lumine rationis homini inſito, actiones ſuas quilibet mortalium temperare poteſt; hinc ſua natura conſequitur, nullum inter eos, qui in libertate vivunt naturali dari judicem, qui lites exortas pro imperio definiat atque componat, ſed ex proprio judicio atque arbitrio omnia, quæ ſaniori rationi congrua videntur, agendi habere poteſtatem. Ipſe quidem Hobbeſius (b) jure naturali unumquemque judicem mediorum ad ſui conſervationem conſtituit, quod tamen in hunc duntaxat valet ſenſum, quod qui non habet ſuperiorem, a quo regatur, ſua negotia proprio arbitrio adminiſtret, & de mediis ad ſui conſervationem ſpectantibus proprio ex judicio conſtituat, (c) quæ tamen libertas, quanquam in iſto ſtatu penes quemque ſit, negligere ſuum jus an tueri, perferre injuriam an exequi velit, ubi de proprio, quod mihi cum alio intercedit, ac de quo controvertitur negotio, propter ſtatus naturalis æqualitatem, cum cuiquam mortalium ſuæ haud parvæ videantur injuriæ, multique eas gravius æquo habuere, (d) minime erit extendenda.

(a) LIVIUS Lib. IX. Cap. 1.
(b) HOBBESIVS de Cive Cap. 1. §. 9.
(c) PVFFENDORF. de J. N. & G. Lib. V. C. XIII. §. 2.
(d) SALVSTIVS CATILIN.

§. II.

Prout igitur & æquitati, & ſtatui hominum naturali magis convenit, priusquam atrociori via dirimuntur controverſiæ, nec ob quamvis cauſam natura in bellum ruere permittit, etiam ubi quis de juſtitia ſuæ cau-

ſæ ampliter ſit perſuaſus, molliora potius tentare media, quam rerum ſuarum arbitrum martem ponere, qua de re eleganter Cicero, (a) *cum ſint duo genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim; cumque illud proprium ſit hominis, hoc belluarum; confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore* (b) de eo primum cogitare integrum erit, an per ſeriam & amicam diſceptationem ſeu per communium amicorum interpoſitionem, quod merito inter ſanctiſſima officia haberi meretur, partibus quæ inter ſe congreſſæ ſunt, an earundem mandatariis, de quo agitur controverſia componi queat. Aſt ſi vel ex negotii natura, vel partium vindictæ lubidine locus reconciliationi relictus nullus ſit, ſors equidem, modus, ne controverſiæ in bellum erumpant, poſt compromiſſum tertius, (c) longaque temporum ſerie veteribus (d) pariter ac noſtris moribus adhuc hodie comprobatus, finem ponere liti poteſt; ubi tamen neque partium diſceptatione ambigua exitus controverſiæ inveniri, neque propter negotii difficultatem, ſorti res dubia committi poteſt, ſapientiori utique conſilio ad arbitrum itur, cujus ſententia, quod ſtare omnino velint partes ſeſe pacto invicem adſtringant. Hinc ipſo aſſerente Grotio (e) parum dubitandum eſt, tametſi in cauſa dubia pars utraque tenetur quærere conditiones quibus bellum vitetur, id magis teneri qui petit quam qui poſſidet; cum ſimul addendum & hoc ſit, inquit, illum qui de juſtitia ac certitudine cauſæ ſuæ optime eſt perſuaſus, documenta tamen ipſi deſunt, quibus poſſeſſorem de injuſtitia ſuæ poſſeſſionis convincat, ſufficientia, licite bellum movere haud poſſe, cum, de poſſeſſione ut alter decedat, jus cogendi demonſtrare minime

me possit. Ipsa natura inter homines aliquam cognationem esse voluit, cujus virtute nefas est alteri homini damnum inferre, & potius cujuslibet rationi magis consentaneum putavit aliorum se dispensare commodis. Sacrum inde erit judicis officium si arbitratoris potius quam ipso judicandi munere fungatur judex, cum æquitas naturalis, & ipsi, & partibus, molestias litis ac sumtus, jacturam temporis, superque satis exponat, diffidia, animi rancorem & odia inde provenientia, tum & dubium litis eventum, & incognitas prævisas antea rerum vicissitudines, & quicquid denique vel tædii vel adversi subesse solent. Et ipsa hæc est mollior via, qua prius tentandum, an amica compositione exitus litis inveniri possit, quam ipsa Ord. Proc. Sax. (f) statim sub litis ingressum in decernendis controversiis justissime suadet.

(a) CICERO de Offic. Lib. I.
(b) JUSTINUS Lib. VI. Cap. I. n. 3. 4. sqq.
(c) GROTIUS de J. B. & P. Lib. II. §. 9.
(d) SALOMO PROV. c. XVIII. v. 18. LIVIUS Lib. V. & XXVIII.
(e) GROTIUS de J. B. & P. Lib. II. §. 11.
(f) ORD. PR. SAX. TIT. I. §. Besonders.

§. III.

Finis itaque ac scopus, ex quo eligitur a partibus judex, ipsam naturam officii ac indolem involvit, simulque qualem se gerere debeat arbiter demonstrat. Per Legem naturæ injunctum est, arbitro illud pronunciare, quod justum sibi ac æquum visum fuit. Constituitur vero ac sumitur ille, quia in re propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ, & cujuslibet de sua causa suspectum habetur judicium propter insitum illum, quo quis in se suaque regulariter propen-

det, amorem. *L. un. C. ne quis in sua Caus. L. 10. ff. de Jurisd.* Æquum utique parti utrique se gerere idque cum primis curæ cordique ipsi esse debet, ne in ferenda sententia plus favoris adversus unum quam alterum ostendat, nihil odio aut gratiæ det, sed merita causæ unice respiciat, ne habeat deinde, unde iniquum ejus, qui cecidit causa, odium curet atque invidiam. (a) Quam ob rationem non solet quis capi arbiter in ea causa, in qua ipsi commodi vel gloriæ peculiaris spes major adparet ex victoria unius partis, quam alterius; seu ubi ipsius interest, alterum quocunque modo causam obtinere. (b) Ipsa hinc æquitatis natura justitiæque finis, pactum inter partes & arbitrum initum, cujus vi tenetur præter merita causæ in gratiam pronunciare partis alterutrius, ipsi scopo judicandi contrarium, ipsoque jure, cum non aliud quam bene ac juste judicasse ipsius sententiæ pretium esse debeat, nullum declarat. Ast vero, intercedere debet inter arbitrum & partes pactum aut promissum. Utrumque licet, nec contradictionem involvit. Res vero dijudicanda ita venit. Non nisi in volentes prouti arbitrium exercetur, ita nisi volens nemo fit arbiter, inde inter litigantes & arbitrum super suscipiendo arbitrio, pactum iniri poterit valide. Alia obtinet ratio, ubi sub conditione vel surrogata plane & æquitate & æqualitate naturali pactum inter partes initur. Quod si enim pactum ita conceptum sit, ut stare se velle judicio arbitri partes promittant, si æquam tulerit sententiam; jam vero præsupponi debet, ne naturali derogetur libertati, quod isti, qui pactum ineunt, sint æquales, adeoque invicem liceat inquirere, an ab altero omni ex parte pacto sit satisfactum. Post exitum vero litis

litis ac laudo ab arbitro interpoſito de iniquitate vel æquitate ipſius ſi oriatur controverſia, cujus deciſio cum neque huic arbitro neque partibus ſit committenda, neceſſario ad alium erit recurrendum arbitrum, cum quo, ſi idem ac ſimile ſit pactum initum, alius iterum erit eligendus, & ſic in infinitum. Ex quo per ſe patet, quod omne pactum, ſub ea conditione, ſi æquam pronunciaverit ſententiam arbiter, inter partes & arbitrum initum, ipſa æquitas naturalis nullum ac invalidum declaret. Nam hac ratione, ſi de æquitate alterutra pars litigantium dubium moveret, alius utique adeundus eſſet arbiter, qui ſuper ſententia a priori lata cognoſceret, & de hujus æquitate, ſi iterum opinio orta ſit dubia atque ambigua, novus adhuc eſſet conſtituendus arbiter, & ſic in infinitum protrahitur proceſſus. Hinc pactum, quod velint ſtare ea ſententia, quam arbiter pronunciaverit, debere purum eſſe conceptum, & æquitas & ipſa naturalis ratio ſuadet. *L. 18. ff. de Recept. L. 32. §. 15. & 16. ff. eod.* Stare autem ſententia arbitri ſive juſtum ſive iniquum pronunciaverit, utique debent partes; *L. 76. ff. pro Soc.* ab injuſta enim ab arbitro lata ſententia, ad nullitatem compromiſſi non valet conſequentia; minime enim ſtringet laudum arbitri, ſi de colluſione cum altera parte manifeſte adpareat, ac nummis corruptus arbiter in fraudem pactum conſtituat. Qui enim aperte vel odio in ferenda ſententia, vel gratiæ dare, nec merita cauſæ unice reſpicere ſtudet, arbitri perſonam gerere amplius nequit. Corrigi autem debet ſententia per judices bonæ fidei, *L. 78. & 79. ff. pro Soc.*

(a) DIOG.

(a) DIOG. LAERT. in vita BIANTIS Lib. I. ibi BIAS. Ἥδιον ἔλεγε δικάζειν μεταξὺ ἐχθρῶν ἢ φίλων. Τῶν μὲν γὰρ φίλων πάντως ἐχθρὸν ἔσεσθαι τὸν ἕτερον, τῶν δὲ ἐχθρῶν τὸν ἕτερον φίλον: i. e, Malle ſe inter inimicos, quam inter amicos, judicare, dicebat: quippe ex amicis alterum prorſus futurum inimicum, ex inimicis autem alterum amicum. conf. GELL. NOCT. ATT. Lib. I. Cap. 3.

(b) HOBBES de Cive Cap. III. §. XIV. ibi: Cum a pacem ineuntibus multa jura retineantur communia, multa etiam acquirantur propria, dictamen legis naturalis oritur, nempe ut, quæcunque jura unuſquiſque ſibimetipſi poſtulat, eadem etiam unicuique concedat cæterorum.

§. IV.

Eo igitur collimant arbitri, in id omnem impendant operam ac diligentiam, ut depravatæ generis humani naturæ mentisque hominum obſtinatæ exſtimulationi, ubi animum vincere, iracundiam cohibere temperare dolorem, & adverſario etiam in minimo cedere, grande nefas ac inextinguibile piaculum eſſe arbitrantur, limites ponere, deſperati hujus morbi pro æquitatis ratione ac prudentiæ naturalis ductu medelam afferre intendant. Sedulo inde ſpectandum, prouti egregie monet Grotius (a) an electus ſit in vicem judicis arbiter, an cum laxiori quadam poteſtate, ut ſententiam ſuam non tam ad jus ſtrictum, ſed ad æquitatem potius & humanitatem, attemperare poſſit, quam arbitri quaſi propriam ipſe vult Seneca. (b) Ita cum aliquando utraque pars ad juſtitiam provocet, arbiter æque ac judex momenta & ſumma cauſæ juxta dextram legum interpretationem ab omni judice adhibendam, reſpicere debet, ſi vero ad arbitrum, ubi jure ſtricto nititur altera pars, rigidi juris mitigationem ex ratione virtutum humanitatis, caritatis, miſericordiæ, aliarumque arbitro

adhi-

adhibere licet. Tanta tamen poteſtas conceſſa, in dubio, haud intelligitur, in dubio enim ſemper cum id, quod minimum eſt, ſequamur, ac facilius accidit, ut quis lædatur, ſi arbitro laxa quam ſtrictior facultas ſit conceſſa, præcipue vero inter ſummam poteſtatem obtinentes id locum habet, qui, cum judicem communem non habeant, arbitrum cenſendi ſunt adſtrinxiſſe iis regulis, quibus judicis officium adſtringi ſolet, omnino ad regulas judici obſervandas obligatur arbiter. Cæterum de hoc dubitandum non venit, illum, qui inter privatos ac cives jus dicit, regulariter leges ſequi civiles, quibus litigantes ſubjecti ſunt, dum e contrario inter eos pronunciaturus, qui nec habent leges civiles nec ſubſcripſerunt, jus naturale pro norma habet, uſque dum ipſæ partes litigantes arbitrum ſuum ad certas civitatis leges vel loci ſtatuta ſpecialiora, ut componat, pronunciant. Oritur inde quæſtio, an de poſſeſſione ſufficiat pronunciaſſe arbitris? Ambigunt Dd. & ipſe GROTIUS (c) monet, lectos arbitros a ſummam poteſtatem habentibus de principali negotio pronunciare debere, non de poſſeſſione. Nam judicia poſſeſſoria eſſe juris Civilis: jure Gentium autem jus poſſidendi dominium ſequi. At vero probe hic diſpiciendum uter poſſeſſor ſit, ac cuinam probandi potiſſimum de poſſeſſione onus incumbat. Utique a petitore requiritur, ut petendi argumenta proferat ac jus ſuum liquido demonſtret; in poſſeſſore autem, ut illa rejiciat ac poſſeſſionis titulo rite demonſtrato, jure tamen ut id faciat, neutiquam obligatur, in laudo circa poſſeſſionem ambiguam ab arbitro poſito acquieſcat. Non tamen, prout juſte monet PUFENDORFFIUS, (d) cujus ſententiæ lubentius ſubſcribimus, Arbi-

 tris

tris non ſatis eſt ſuper poſſeſſione duntaxat pronunciaſſe, quia non de hac, quæ in aprico fere eſt, ad arbitros ſoleat provocari, ſed ut principali negotio finis demum imponatur, nec deinceps litis quid ſuperſit.

(a) GROTIVS de J. B. & P. Lib. III. Cap. XX. §. 47.

(b) SENECA Lib. II. de benefic. Cap. 7. Melior videtur conditio cauſæ bonæ, ſi ad judicem, quam ſi ad Arbitrum mittitur: quia illum formula includit, & certos, quos non excedat terminos, ponit, hujus libera eſt nullis adſtricta vinculis religio & detrahere aliquid poteſt & adjicere, & ſententiam ſuam non prout lex aut juſtitia ſuadet, ſed prout humanitas & miſericordia impulit regere.

(c) GROTIVS l. c. §. 48.

(d) PVFFENDORF. J. N. & G. Lib. V. Cap. XIII. §. 6.

§. V.

Quod hactenus ex æquitate ac juſtitia naturali demonſtratum dedimus, gentium quoque conſuetudinibus confirmatum, ac temporum ſerie legimus introductum. Ita antiqua priſcis gentibus res fuit, ac inolita conſuetudo, compromiſſo res decidere controverſas, ac arbitri laudo litem ſubjicere. Sic olim Ardeates & Arcini, poſtea Neapolitani & Nolani controverſias ſuas arbitrio populi Romani permiſerunt, (a) & Samnites in controverſia cum Romanis ad communes amicos & ſocios provocant. Philippus Macedo in controverſia cum Græcis ait, ſe arbitrio uſurum populorum, cum quibus pax utriſque fuiſſet. Parthis & Armenis poſtulantibus Pompejus finibus regendis arbitros dedit, hoc vero præcipuum Fecialium Romanorum fuiſſe officium Plutarchus (b) aſſerit: ὐκ ἐαν̀ ϛρατεύειν πρότερον ἢ πᾶσαν ἐλπίδα δίκης ἀποκοπῆναι, ne ſinerent prius ad bellum veniri quam ſpes omnis judicii obtinendi periiſſet. Ita apud antiquos Germanorum populos, de minoribus rebus principes

cipes consultabant, de majoribus omnes, ita tamen, ut ea quoque, quorum penes plebem arbitrium erat, apud principes pertractarentur (d) & Helvidius Priscus, cum de publica paupertate a prætoribus ærarii quereretur, eamque curam consul designatus, ob magnitudinem oneris, & remedii difficultatem, principi reservaret, arbitrio senatus agendum censebat. (e) Ita a Prætore postulabant Romani arbitrum, qui primo arbitrium pronunciabat; deinde, ni reus paruisset arbitrio, eum condemnabat, (f) ipse vero Icilius Tribunus, quo auctore tribuni senatum convocare aggressi sunt, legem condidit, qua, ex arbitrorum sententia res controversa ut decidatur, voluit. (g) Sed & ad nostra quoque transiere tempora provocationes ad arbitros, unde in Imperio nostro orta sunt judicia compromissorialia, de quibus exempla permulta extant insignia. Ita anno 1273. inter Rudolphum Habsburgicum, & Episcopum Basiliensem conventum fuit, ut, quæ inter ipsos esset controversia, per Fridericum Noribergensem Burggravium, quem nominaverat Rudolphus, & Henricum Hochbergicum, Marchionem, ab Episcopo electum, decideretur, quibus si per negotia adesse minus integrum foret, Henrici duo, Furstenbergicus, & Gerolzeggius substituerentur. An. 1444. in controversa successione Hennebergica in Gottfriedum Würtzburgensem Episcopum fuit compromissum. Eadem ratione inter Ludovicum Bavarum & Albertum Marchionem Brandenburgicum an. 1459. controversia per arbitros ab utraque parte constitutos fuit composita, & in Domo Palatina insigne est exemplum Ruperti, Electoris, qui an. 1410. dispositionem septem arbitris commisit. In causa Wildfangiatus ad Galliæ & Sueciæ Re-

ges fuit provocatum, qui etiam per laudum Heilbrunnenſe anno 1666. omnem controverſiam definiverunt. Alia aliorum adhuc exſtant exempla, quæ cuncta ut apponantur hujus loci non erit. Hiſce potius præmiſſis ordo nunc jubet rem ipſam ut aggrediamur, ac circa fontem hactenus ac originem, in quantum nempe ſaniora nobis J. N. ac Gentium principia rei hujus doctrinam nobis tradidere, occupati, jam modum litigandi civilem ſtatui ac libertati naturali, diverſo ſenſu oppoſitam diſpiciamus.

(a) LIVIVS Lib. VIII.
(b) PLVTARCHVS POMP. Lib. XXXII.
(d) TACITVS de Moribus Germ. Cap. II.
(e) ID. Lib. IV. Hiſt. Cap. 9.
(f) NIEVPOORT. Antiqu. Rom. Sect. III. Cap. I. §. 2. & 5. HEINECCII Antiqu. Rom. P. II. Lib. IV. Tit. VI. §. 40.
(g) DIONYS. HALICARNESS. Antiqu. Rom. Lib. X. 40. *ὅσα μὲν ἰδιῶται τινὲς εἶχον ἐκ δικαίου κτησάμενοι, ταῦτα τοὺς κυρίους κατέχειν. ὅσα τὲ βεβιασμένοι τινὲς ἢ κλοπῇ λαβόντες ᾠκοδομήσαντο, κομισαμένους τὰς δαπάνας ἃς ἂν οἱ διαιτηταὶ γνῶσι, τῷ δήμῳ παραδιδόναι.* Quæ privati homines bono jure parta poſſiderent, ea manere penes ſuos dominos. Quæ vero per vim aut fraudem occupaſſent ædificiis, ea, reſtitutis ex arbitrorum ſententia impenſis addici populo.
(h) WVRSTEYSEN Chron. Baſil. Lib. II. c. 21.

§. VI.

Omnem hujus materiæ originem, prout ex cauſa civili ipſius ratio dijudicari debet, ſimul & arbitrorum jura, ex ipſo Titulo Digeſtorum DE RECEPTIS QVI ARBITRIVM RECEPERVNT VT SENTENTIAM DICANT demonſtraſſe ſufficiet. Prætorum Edictis hic quoque annumeratur Titulus. Continebatur autem, ut tribus ſaltem verbis moneam, totum munus Prætoris hiſce tribus verbis: DO, DICO, ADDICO. Dabat enim

Prætor

Prætor bonorum possessionem: Dabat judices, arbitros, recuperatores, dabat tutores ex L. Attilia. Dicebat viam in vindiciis: dicebat interdicendo, quoties de possessione agebatur, indicebat advocata concione ferias, si quando terra in urbe tremuisset. (a) Addicebat denique, veluti facta in jure cessione, mancipatione, ceteris. Duo autem RECEPTORVM extabant Edicta, quorum ad ARBITRIA alterum, alterum ad NAVTAS, CAVPONES & STABVLARIOS pertinebat, ubi aliis ob non præstita, quæ receperunt, judicium minatur prætor, indeque sibi in coordinatione Pandectarum junguntur. (b) Sed nominis tantum similitudine conveniunt: qua arbitrium recipere seu suscipere dicimur, pariter atque res recepta, *L. 1. §. 6. ff. L. 4. §. 1. Naut. Caup. Stab. ut Recept. rest.* seu suscepta, *L. 3. §. 1. ff. eod.* dicitur. *Receptum* non idem est quod *promissum*, prout ex rubrica duorum textuum luculenter patet, & rubr. *Naut. Caup. Stab.* quasi expressum sit in Arbitris, *tacitum* in Cauponibus: Siquidem res quidem a Cauponibus recipiuntur, minime vero promittuntur. Atque cum non tam ex promissione, quam ex facto receptionis oriatur obligatio, hinc, etiamsi expresse de recipiendo conventum sit, tamen adhuc pro quasi contractu vi Recepti negotium habebitur, *L. 3. §. 1. Naut. Caup. Stab.* quod secus est in compromissis & rebus ad Arbitros pertinentibus, qui & in Jure nostro Recepti dicuntur, i. e. qui consensu aliquo admissi sunt vel electi, seu judices compromissarii non ordinarii, L. penult. C. *de recept. arbitr.* ex eo quod a prætore ad arbitrandum delecti recepti atque demissi sunt: sive quia ex recepto, i. e. ex compromisso causas dirimendas recipiunt, *L. 1. ff. de Recept. L. 12. & 14. C. de jud.* Alio sensu

 sumi-

ſumitur receptum in jure noſtro, ubi, quicquid a plerisque prudentum approbatum, dicitur. Reperta enim per fori apud Romanos diſputationem, definitione, quamvis juris vim non haberet, niſi ſimul uſu recepta: magnæ tamen auctoritatis habebatur, & ſi vel uſus fori, vel nova auctoritas accederet, etiam ad ſimiles extendebatur caſus. (c) Et tum demum vocari ſolebat RECEPTA SENTENTIA, RECEPTVM JVS, RECEPTVS MOS, POST MVLTAS VARIATIONES RECEPTVM, *L. 215. ff. de verb. obl. L. 3. C. in quib. cauſ. L. 41. ff. de recept. qui arb. recep.* Receptum enim, inquit Feſtus, dicitur, quicquid a plerisque prudentibus adprobatum eſt. (d)

(a) GELL. NOCT. ATTIC. Lib. X. c. 24. SVETON. CLAVD. XXII.
(b) Rubr. DE RECEPT. QVI ARBITR. & Rubr. NAVT. CAVPON. & STABVL. VT RECEPT. RESTIT.
(c) GER. NOOD. ad Leg. Aquil. XV. p. 106. de Pact. & Tranſact. XIX. p. 718.
(d) Conf. BARN. BRISSON. de Verb. Signif. voc. receptum. Et GVIL. BVDÆVS in Comment. ad L. 11. §. 1. ff. de Verb. Signif.

§. VII.

In diverſa abiere Dd. circa Arbitri vocis ſignificatum certamina, ita, ut inter dubias ſæpius meditationes ancipites hæreant, ſuæ an aliorum ſubſcriberent ſententiæ. Arbiter ut plurimum derivatur ab *ad* & *bito* quod eſt *eo* & ſic dicitur, quaſi qui rem adeat atque inſpiciat, quo pacto & arbitri accipiuntur pro illis, qui rem vel actum vident: i. e. pro teſtibus, unde locutio iſta *remotis arbitris*. In genere ac ſenſu latiori vox Arbitri ſumitur, pro perſona cui liberrima & dicendi, agendi vel faciendi facultas relicta eſt. Ita enim C. Petronius apud Tacitum elegan-

tiæ

tiæ Arbiter dicitur, TACIT. ANNAL. LIB. XVI. Cap. 18. dum nihil amœnum, & molle affluentia putabat Nero Cæſar, niſi quod ipſi Petronius approbaviſſet; & Sejanus literarum Arbiter, cum per milites commearent literæ, ut ſuo ſaltem conſilio traderet: ID. ANNAL. LIB. IV. Cap. 41. Definiente Cujacio, id quod proprie hujus loci erit, Arbiter eſt: *Diſceptator electus ex compromiſſo partium, qui diſceptandæ inter eos cauſæ officium in ſe recepit,* hinc verbum *Diſceptator* optime quadrat arbitro, qui dicitur *diſceptare L. 11. pr. ff. de recept. qui arbitr. &c.* Differentiam inter Arbitrum & Arbitratorem DV FRESNE nobis demonſtrat, (a) nam Arbiter eſt, inquit, qui judicis partes ſuſtinet, & qui cognoſcit ordinario judicio, ſicut judex, & ab ejus ſententia appellari non poteſt, & ſententia ejus dicitur arbitrium. Arbitrator vero, qui non ſervato juris ordine cognoſcit & definit amicabiliter inter partes, & pronunciatio ejus dicitur Laudum; & ab hoc poteſt appellari, & illud peti, reduci ad arbitrium boni viri. Inde ſententia, quæ ab Arbitro ſtatuitur, arbitrium dicitur, quod eſt actus legitimus perſonarum, ſuper civili quæſtione & querela in quaſi judicio contendentium. Arbitrarium autem, cum adhuc res apud arbitrium geritur. Aliud eſt Arbiterium, ſive collectio Arbitrorum multorum i. e. ipſa conſenſio, prout non ſemel ſcribi in Pandectis Florent. Tit. *de Recept. Arbitr.* Cujacius monet; (b) & conditum quoque in jure noſtro dicitur Arbitrium, i. e. ultimum morientis teſtamentum, *L. 17. C. de Teſtament. L. 107. 124. Cod. Th. de Decurion.* Varie accipiuntur Arbitri, *L. 21. C. Mand. L. 38. pro Soc. L. 24. Depoſit. L. fin. rem pupill. Salv. L. 9. qui ſatisdar. cog. L. 1. §. 6. ſi cui*

plus-

plusquam per L. Falcid. L. 16. 18. C. de Judic. Plerumque hoc nomine veniunt Arbitri, qui vel a Magiſtratu, ad Controverſiam totam, ut in judiciis *b. f. d. L. 38. ff. pro Soc. L. f. ff. rem pupill. ſalv. fore:* aut incidentem, ut arbitri judiciales juris, ad unum vel plures actus, nomine Magiſtratus, expediendos definiti; vel a Privatis libera voluntate, ad componendas controverſias, eliguntur, & quidem vel ex æquo & bono, qui arbitratores audiunt, *L. 13. §. 2. d. recept. L. 76. pro Soc. L. 25. Locat. L. fin. C. de Contr. Emt. Vend.* vel obſervato judiciorum ſeu Legis cujuſdam ſpecialioris ordine ac diſpoſitione, qui Arbitri vocantur Compromiſſarii, (c) *L. 1. 13. §. 2. de recept. L. 5. §. 1. C. eod. L. 14. pr. C. de judic. L. 3. C. ubi & apud quem cognit. in integr. reſtit. agit.* (d) Arbitrator quoque & Proxeneta pro Synonimis habentur. (e) Conciliator dicitur (f) itemque amicabilis compoſitor. *Auth. ſi vero contigerit. C. de jud.* vulgo Schieds-Mann, Unterhändler *L. 76. & 77. ff. pro ſoc.* willkührlicher Schieds-Richter, Schieds-Leute. Auſtregarum quoque nomine veniunt arbitri, die Austräge R. I. *de anno 1654.* §. benebenſt 105. qui ſunt judices certis imperii ſtatibus & membris immediatis, *O. C. Part. 2. T. 3.* in prima inſtantia conceſſi.

(a) DU FRESNE in Gloſſar. ad ſcript. med. & infim. lat. Voc. Arbitrator.
(b) CUJACIUS Lib. X. Obſerv. c. 37.
(c) MENOCHIUS de Arbitrar. jud. Quæſtion. L. I. Quæſt. 2. n. 15. 16. ſqq.
(d) CARPZOV. P. I. C. 1. D. 13. n. 5. LEHMANN. Chron. Spir. L. VII. c. 26. 29. & 48. Illuſtris MENCK. Theor. & Prax. Pand. P. I. L. IV. Tit. VIII.
(e) ARNOLD de REYGER Theſ. Jur. Voc. Arbiter. n. 8.
(f) GAIL. L. II. n. 4. CARPZ. J. F. P. I. C. 1. Def. 13. n. 1. ſqq.

§. VIII.

§. VIII.

Antiquiſſima res erat primis & antiquiſſimis gentibus ac inpolita conſuetudo ad bonos viros provocare & arbitros, hinc non juris Romani tantum, ſed gentium eſſe arbitros certum erit. Conſtituebatur vero arbiter compromiſſo, cum *L. 11. ff. §. 1. de Recept.* arbitrum cogendum non eſſe ſententiam dicere, niſi compromiſſum intervenerit, præcipiat, *j. L. 32. ff. §. 1. eod.* id quod & libero ipſius *L. 3. §. 1. ff. h. t.* & partium conſenſu *L. 11. §. 4. L. 17. §. 3. L. 19. pr. ff. L. 5. pr. C. eod.* abſolvitur, qui jure olim Romano pacto vel ſtipulatione explicabatur, *L. 13. §. 2. 3. L. 31. ff. L. 5. C. eod.* Priuſquam vero arbitri vel judicis officio quis fungebatur apud Romanos, poſtulabantur a litigantibus, ac dabantur cum certa formula, quæ intentioni actionis reique exceptioni reſpondebat a Prætore judices poſtulati, ita tamen ut actor primum judicem adverſario ferret, quem ipſi commodum erat, in verba ſponſionis NI ITA ESSET, rogaretque ut eo contentus eſſet, nec alium poſceret vel procaret. (a) Poſtulationem his verbis factam eſſe Cicero docet: (b) PRÆTOR JVDICEM ARBITRVMVE POSTVLO. VT DES IN PERENDINVM, quod ſi ergo judicem vel arbitrum probaret reus, tum judex convenire dicebatur. (c) Si vero daret Judicem vel arbitrum Prætor in formulis uſu receptis, ſemper utebatur voce: PARET, quod idem eſſe videtur, ac adparet. Sic ſi quis rei inſtituiſſet vindicationem, negante reo judex in hæc verba dari ſolebat: C. AQVILI; JVDEX ESTO, SI PARET, FVNDVM CAPENATEM, DE QVO SERVILIVS AGIT CVM CATVLO, SERVILII ESSE EX JVRE

C QVI-

QVIRITVM NEQVE IS SERVILIO A CATVLO RESTITVATVR TVM CATVLVM CONDEMNA. (d). Ut rite igitur conſtituatur arbiter jure noſtro ac legibus civilibus, firmandæ conventioni, additur clauſula doli *L. 31. ff. de Arbitr.* pœna. *L. 3. §. 2. L. 11. §. 2. L. 30. eod. c. 9. X. de Arbitr.* & denique jusjurandum *L. 4. C. de Recept. Nov. 82. c. 11.*

(a) Verbo PROCARE uſi ſunt hac in re veteres. Eſt nimirum procare, poſcere, ut cum dicitur in judice l. arbitro collocando: SI ALIVM PROCAS NIVE EVM PROCAS, h. e. poſcis.

(b) CICERO pro MVRENA XII.

(c) Poterat enim eum rejicere & ejerare his formulis: EIERO, QVEM TVLISTI JVDICEM, INIQVVS EST: vel HVNC NOLO TIMIDVS EST, vel NOLO EVM ELIGERE. CIC. de Orat. II. 70. BRISSON. de Form. Lib. V. p. 369.

(d) HEINECCIVS in Syntagm. Antiqu. Romanar. P. II. L. IV. Tit. VI. §. 39. ſqq. CAR. SIGON. de Iudic. Rom. I, 24. p. 495. ſeq. BARN. BRISSON. de Form. Lib. V. p. 370.

§. IX.

Prout igitur quam plurimis bonæ fidei judiciis, ut familiæ erciſcundæ, communi dividundo, Finium regundorum, Pro Socio, Tutelæ, Rei uxoriæ, addicebantur arbitri, quin etiam, ſi rationes reddendæ eſſent, vel quarta Legis Falcidiæ beneficio detrahenda rationibus excutiendis, diſpungendisque, ad bonorum quantitatem, æſtimationemque ineundam; item ubi idonee caveri oportebat, ſi de fide ac dexteritate fidejuſſorum dubitaretur, ad eos probandos arbitros dabat Prætor; ita in arbitrio dicendo ferendaque ſententia poteſtas arbitris erat ſumma, primum arbitrium deinde ſententiam dicebant. Sic judici, aliter Arbitro jus dicendi mos erat. Hinc ſi quid obſcuritatis cauſa haberet, SIBI NON LIQVERE dicebat judex, quo facto ſecunda erat inſtituenda

da actio. (a) Jam vero ad liquidum si res esset perducta, tum demum ferebat sententiam: veluti in caussis contractuum: Quum CONSTET TITIVM SEJO EX ILLA SPECIE L. ITEM EX ILLA LV. DEBERE, IDCIRCO TITIVM SEJO CENTVM ET V. CONDEMNO. *L. 1. §. 1. ff. quæ sent. sine adpell. resc.* Sin absolvendus videretur reus, dicebat: SECVNDVM ILLVM LITEM DO. (b) Ita Judices pronunciabant. Arbitri arbitrium primum, deinde nisi paruisset reus, sententiam ferebant. *L. 18. pr. ff. de dolo malo.* Prius fiebat hac formula: ARBITROR TE HOC MODO SATISFACERE ACTORI DEBERE. Posterius vero hoc modo: CENTVM QVAS EI DEBES, REDDE. *L. 21. §. 3. ff. de recept. qui arbitr.* quo perfecto judicio, lataque sententia, nil reliquum erat, quam ut damnatus judicatum solveret. Hæc sententia vero Laudum dicitur homologatum, a græco verbo ὁμολογεῖν *assentiri*, *consentire*, *confirmare*, cui Laudo seu sententiæ stare compelluntur partes, & est hujus vocabuli usus antiquissimus, cum nempe populo aliquid interrogante senatus auctoritas requirebatur. Senatores enim homologare, idem erat ac confirmare; usque dum vocis hujus significatus antiquitas, ad nostros quoque arbitros transiit, ubi arbitri sententiam a partibus acceptam homologatum dicimus, quod a veteribus arbitrium, a posterioribus interpretibus Laudum, eadem ratione, qua in libris feudorum sententia sapientum Laudamentum, vocabatur.

(a) GELL. NOCT. ATT. XVII, 2. CICERO pro A. CAECIN. II.

(b) VAL. MAX. II. 8, 2.

C 2. §. X.

§. X.

Præmissa igitur Etymologia ac Homonymia vocis arbitri, quo melius hujus rei indoles cognosci, ac de natura negotii judicari curatius, nec non certum quid in casibus hac in materia sæpissime occurrentibus, poni possit, Arbitri definitionem vel potius ob erroris periculum ac definitionem in jure civili periculosam, *L. 202. ff. de R. I.* rei saltem aliqualem adumbrationem seu descriptionem apponamus. Enim vero cum propter naturalem hominum ad dissentiendum facilitatem, *L. 17. ff. §. 6. de Recept.* quot capita, tot ferme discrepantes autorum in arbitri delineanda potestate atque officio, sententias reperiamus, quas, rei cognitioni cum lucem affundant, quousque nobis introspicere licebit, per compendium in medium proferre non abs re erit. Est itaque prima eorum, arbitrum personam a privatis electam, ut sua sententia litem, juxta juris ordinem propositum decidat, ac differentem ab Arbitratore, quippe qui solummodo in litibus decidendis intervenire debeat statuentium. (a) Aliam produnt illi, qui tam quoad certas quasdam, quam omnes lites eligi arbitrum & exinde diversitatem illorum dijudicari posse, *L. 21. §. 6. L. 43. 46. de recept.* affirmant, ac arbitros, judices libera partium propriaque voluntate, ad controversias, secundum tenorem compromissi, & consuetum judiciorum ordinem, arbitrio proprio definiendas, constitutos volunt. *L. 1. 3. §. 1. L. 13. §. 2. L. 17. §. 3. L. 19. pr. ff. de recept.* (b) Alia est BACHOVII, VINNII, aliorumque de arbitris opinio, qua arbitrum vel arbitratorem nunquam ad lites decidendas admittunt; duplices ipse facit arbitros electos BACHOV. (c) Arbitros nempe in specie sic dictos & Arbi-

bitratores in specie sic dictos, quos GAIL. (d) ex Dd. sententia ita distinguit, quod arbiter quidem adeatur tanquam judex, & qui servato ferè judiciorum ordine procedit, arbitrator vero, qui sine solennibus, ex æquo & bono, pro amicitiæ officiis litem finiat atque componat. Moribus nostris arbitri ut plurimum ut personæ traduntur, qui in causis controversis, ad arbitrium interponendum assumuntur, vel a Magistratu ad litem, cum totam, *L.38. pro soc.* tum incidentem, actum scilicet, unum atque alterum, nomine judicis expediendum, *L.9. qui satisd. cog.* (e) Naturæ rei ac negotii ab arbitro gerendi magis conveniens eorum est judicium, qui arbitrum tam, ad lites sive amicabiliter componendas, sive decidendas, quam contractus determinandos intervenire arbitrum seu arbitratorem posse arbitrantur, cui sententiæ tanquam Juri Civili, Recessibusque Imperii magis consentaneæ, & communi Dd. calculo confirmatæ, quam plurimi subscripserunt, (f) sed aliorum alia est hac de re sententia, nec nostrum jam erit illorum sequi vexilla. Rei ab arbitro gerendæ ac facultati & officio proxime conveniens descriptio ea erit: quando juste a nobis asseritur, quod arbiter sit vir bonus, libera partium ac propria voluntate electus, certum quid in rebus civilibus aliisque negotiis determinans, tentansque an sua auctoritate & consilio æquos modos suggerendo & suadendo, res controversas, secundum tenorem compromissi, amicabiliter componere, &, observato consueto judiciorum ordine, ad evitandas litium ambages, proprio arbitrio, quid nimirum præstandum sit, ex æquo & bono definire possit (g) *L. 1. §. 1. de Legat. 2. L. 13. §. 2. de recept. Auth. si vero contigerit. C. de Jud.* Unde facile liquet,

quet, quale ſit officium atque poteſtas arbitri, nempe certum quid in contractibus aliisque negotiis determinandi, & res controverſas ſive amicabiliter componendi, ſive abſque prolixiori judiciali diſceptatione, conſueto tamen ordine, ex æquo & bono definiendi facultas.

(a) GAIL. I. Obſ. 150. n. 4. STRVV. Jpr. L. 4. Tit. 4. §. ult.
(b) TIT. JVS PRIV. Lib. VIII. Cap. XII. §. 4.
(c) BACHOV. Comm. ad πρῶτα Lib. IV. Tit. 8. n. 2.
(d) GAIL. l. c.
(e) BERGERI Oeconom. Juris Lib. IV. Tit. III. §. 3.
(f) BACHOV. ad Tit. ff. *de Recept. Arbitr.* C. 1. n. 2.
(g) FRANSK. ad Tit. *de Recept. Arbitr.* §. 4. n. 21. LAVTERB. Tr. *de Arbitr.* comp. §. 2. n. 2. ſqq. STRVV. Ex. 8. Th. 96. BLVM. Proceſſ. Cam. Tit. 58. n. 2. GAIL. 1. Obſ. 150.

§. XI.

Varie pro negotii varietate dividuntur arbitri. Vel enim a Magiſtratu, prouti monuimus, cum in totum eliguntur, tum incidentem actum ſcilicet, unum atque alterum nomine Judicis expediendum; vel a privatis, modo tamen diverſo. Siquidem arbitrum eligunt privati jam ad contractus conciliandos, qualis a proxeneta parum differt, jam ad incertum quid in negotiis Civilibus, boni viri arbitratu, nullo juris ordine ſervato, determinandum, quem alias arbitratorem dicere amant, Germanice **einen Schieds-Mann, guten Mann.** (a) Hi a privatis electi ſunt vel ſtatutarii, qui ex ſtatutorum ordine ac diſpoſitione ad definiendas certarum perſonarum lites adhibentur, ut Auſtregæ, qui ſunt vel conventionales, conventione familiarum aut univerſitatum, **gewillkührte rechtliche Austräge.** *O. C. Part. 2. T. 2. §. 1.* & Legales, lege publica conſtituti. Eliguntur vero arbitri a privatis vel ex Legis diſpoſitione,

tione,ut ſtatutarii, de quo jam dictum eſt; vel libera voluntate, qui iterum commode dividi poſſunt in Arbitros Fori Germanici, qui vi jurisdictionis, ſecundum compromiſſi formam litis ambages impedientem ac reſcindentem, ſententiam dicunt, (b) & Arbitros Juris Civilis, qui virtute aut vi compromiſſi, per quod Arbitri ſententiæ ſe ſubmiſerunt partes *L. 11. §. 4. ff. de recept.* & ſecundum compromiſſi contenta, rem diſcernunt atque judicio ponunt. *L. 32. §. 15. ff. de recept.* Et hi ſunt ratione objecti vel Generales vel ſpeciales: Illi, qui ad omnes partium controverſias finiendas, *L. 21. ff. h. t.* futuras tamen decidere ipſorum non eſt. *L. 46. ff. h. t.* Hi vero, qui ad unum ſaltem vel certas lites dijudicandas vi receptionis determinantur.

(a) BRVNNEM. ad L. 1. ff. *de Recept.* BAPTIST. a S. BLAS. Tr. *de differ. inter Arbitr. & Arbitrat.* qu. 1. n. 1. BACHOV. ad WES. Tit. ff. *de Recept.* n. 1.

(b) R. I. de An. 1594. §. 65. ORD. PROC. SAX. Tit. 1. §. Beſonders.

§. XII.

Cum ad arbitrum naturaliter requiratur uſus rationis & rei decidendi peritia, regulariter quilibet in arbitrum poteſt eligi *L. 5. 6. 7. ff. de recept. l. 43. §. 1. ff. de procur.* niſi vel naturale impedimentum, vel legis, vel ſpecialior loci conſtitutio obeſt. *l. 7. pr. §. 1. l. 9. §. 1. l. 41. l. 51. ff. l. fin. C. h. t. c. 4. 8. X. de Arbitr.* Multum equidem deſudarunt Dd. cohortes circa vulgatam quæſtionem: An ſcil. in judicem ordinarium poſſit compromitti? Ex communi illa ſententia ambiguæ *legis 9. §. 2. ff. de Recept.* quam Juris Civilis ſanctionem nec jure canonico mutatam eſſe, *c. 5. 7. 10. X. de Arbitr. c. 21. X. de præbend.* nec apud nos ceſſare, amplius quidem, non omni tamen ex parte,

juſte

juste sibi persuadent. Optime inde observat DVARENVS (a) Legem Juliam de judice dato loqui, non de magistratu: judicem porro datum non posse a præscripta formula recedere & ideo nec arbitrum esse, adeoque contra communem sententiam asserit: magistrarum ordinarium etiam Jure Romano posse esse arbitrum: Nec firmiori earum nititur hypothesi opinio, qui a sententia arbitri posse recedi, & ad judicem ordinarium litem de integro deferri, asserunt; quippe sententiæ semel latæ standum erat Jure Romano, nec supererat, de quo sive judex sive magistratus ordinarius amplius pronunciaturus esset. Rem controversam definivit SCHILTERVS (b) ubi judicem pedaneum arbitrum esse ejusdem litis non posse pronunciat: Magistratus est, inquit, verum ex sua sententia non potest, *L. 4. ff. de Tut. dat.* quemadmodum enim magistratus potest esse tutor *L. 10. ff. de tut. testam.* sed ex sua sententia vel decreto non potest, ita nec arbiter: Nullum inde discrimen inter Jus Civile atque Canonicum hoc loco agnoscendum erit, suscipere poterat magistratus compromissum etiam superior, sed ad laudum cogi non poterat, nisi inferior; *L. 3. & 4. ff. de Recept.* commode vero accipi potest *d. L. 9.* Jus Civile de Judice jubente & cogente, ubi nihil aliud constituit, quam quod ipsa rei natura postulat, judicem nempe suo voto ac per anticipationem ad Arbitri munus anxie desideratum ac avide arreptum ei deferendum, partes non debere compellere. Nec parum ad rem facit, quod judicis sæpius in jure nostro nomen pro arbitro & vice versa ponatur, cum semper si alternative judicis & arbitri nomen positum sit, arbitri vox tanquam judicis pedanei apud Romanos merito subintelligi debeat.

debeat. Dependet autem officium arbitri & modus expediendæ cognitionis primario ex compromiſſo, *L. 27. §. 4. L. 32. §. 15. 21. ff. de Recept.* hoc vero deficiente conſueta ut procedendi ratio obſervetur neceſſe eſt. *L. 1. de Recept. L. 14. pr. C. de Judic.* Hinc partes modo ordinario citantur, procuratores & Advocati admittuntur, abſentium contumacia punitur, exiguntur cautiones, ac dilatoriæ exceptiones opponuntur, (c) poſt libelli oblationem litis intervenit conteſtatio *L. 1. ff. de recept. Arbitr. j. L. un. C. de Lit. Conteſt.* (d) probatio rite peragitur, merita cauſæ examinantur, ipſa denique, juxta conſuetum vel conventione definitum proceſſum partibus præſentibus debito tempore ac loco, fertur ſententia. *L. 39. ff. d. t. L. fin. C. de teſtib. c. 10. X. de Arbitr. L. 19. §. 1. & 2. L. 20. 21. pr. §. 3. L. 32. §. 14. h. t.* De ſubſtantia tamen recepti non eſt adjectio ſtipulationis pœnalis, ſcil. ut quoniam arbitri ſententiam ſuam exequi non poſſunt, ad pœnam commiſſam contumax compellatur, quanquam frequens fuit Romanis corroborare hac ſtipulatione compromiſſa. Subſiſtit enim arbitrium & ſine ea, inprimis ſi pacto compromiſſorio adjectum ſit pactum de non petendo, quoties uterque alteri debet *L. 11. §. 3. ff. de Recept. Arbitr.* imo ſi plane nullum adjectum, ſed ſtari Arbitri ſententiæ ſimpliciter conventum ſit, *L. 27. §. fin. ff. L. pen. pr. C. d. t.* vel cum ex altera tantum parte rei promittatur pœna, actor vero nihil promittit, *L. 13. §. 1. ff. h. t.* jure romano utique validum cenſebatur compromiſſum, & ſententiæ arbitri latæ ſtandum erat, dataque fuit actio, ad id quod intereſt contra non parentem, aut exceptio pacti compromiſſorii. *L. 13. §. 1. ff. h. t.* Non raro quoque, ut enixius ſervetur fides ſtipulationi, promiſſio de non

adhibendo dolo accedit. *L. 31. ff. L. 3. C. h. t.* datur enim ex ea Lege, si forte corruptus sit arbiter vel advocatus diversæ partis, actio ex cautione doli, vel edicto de dolo malo, non obstante *L. 1. C. de Adv. diversf. Jud. ac L. 7. C. quand. provoc. non est nec.* ubi ex iis causis ostenditur, vel restitui litem vel ipso jure nihil agi, procedunt enim leges istæ objectæ in judiciis, dicta lex vero *31. ff. de Arbitr.* ad arbitria eorum pertinet, qui ex compromisso adeuntur; compromissa vero & judicia in plerisque causis differunt. (e)

(a) DVAREN. Comment. ad ff. *de Recept.*

(b) SCHILTER. Exerc. ad Pand. XII. §. III.

(c) CARPZ. P. I. C. 3. D. 19. 20. conf. L. 31. 32. §. 18. L. 49. ff. *de Recept.*

(d) Compromissum tamen non parit exceptionem litis pendentiæ, quam vulgo vocant, L. 30. ff. h. t. GAIL. 1. Obs. 141. n. 3. MASCARD. Vol. 2. de probat. Concluf. 987. Nec mutua petitio, sive reconventio apud Arbitrum institui potest, nisi aliquo compromisso sit cautum, L. 21. §. 6. ff. *de Recept. Arb.* MENOCH. 1. de Arbitr. Jud. qu. 41. n. 12. PEREZ. Tit. C. *de Sentent. & Interloc.* n. 18. SICHARD. in L. 14. C. *de Sentent. & Interloc.* n. 8. MARANT. Part. IV. Dist. 6. n. 20.

(e) CVJAC. in L. 7. §. non solum ff. *de Dol. mal.* DONELL. 28. Comm. Cap. ult.

§. XIII.

Officium igitur Arbitri oritur, vel partium electione ex pacto nudo vel per compromissum, cui in casum violationis vel pœna definita, *L. 32. ff. de recept. Arbitr.* adjecta est, vel si pœna compromisso non est inserta, fide tamen non servata, ad præstandum interesse obligatur arbiter, (a) *c. 9. X. h. t.* Sæpissime quoque accedit juramentum, quod jure quidem Civili *per Nov. LXXXII. c. 11.* improbatur, neutiquam tamen jure Canonico *c. 9. X. de Arbitr.* nec hodierno abrogatum est; inde compromissorum divisioni in pœnalia & non pœnalia, jurata & non jurata,

ut

ut naturæ rei optime congruæ, JCtorum quam plurimæ ſubſcripſerunt ſententiæ. Quibus diviſionibus annumeranda & hæc erit, ubi Compromiſſum in plenum vel minus plenum diſpeſcere Romanis integrum erat, hoc enim ad ferendam ſententiam cogi poterat arbiter, non vero illo, ſi tamen dixiſſet arbiter, omnino ſtandum erat ſententiæ, *L. 13. §. 1. b. t.* Non cogebatur enim arbiter ad ferendam ſententiam, niſi pœna ſtipulatione aut pacto de non petendo utrinque adjecto, idque ex ea ratione, *L. 11. pr. L. 30. fin. ff. b. t.* quia intereſſe arbitri exiſtimarunt Romani, ut non impunita ſit contumelia, quam fieri rati ſunt arbitro, quoties ſententiam ipſius alteruter litigantium condemnat. Ita eliguntur arbitri, ita dividuntur. Hinc compromittere poſſunt omnes illi, qui tranſigendi habent facultatem, & de qua re tranſigere licet, de eadem & compromittere permiſſum. Qui igitur ſuo nomine compromittunt, liberrimam rerum ſuarum adminiſtrationem habere, qui vero alieno, conſenſu ſufficienti, *L. 3. 32. §. 2. L. 35. de recept. L. 17. §. 3. L. 35. ff. de jurej.* ac ſpecialiori ad litem dato mandato *c. 9. X. de Arbitr.* inſtructus eſſe debet. Arcentur tamen ob *L. 32. §. 2. ff. b. t.* alieno nomine compromittere propter interceſſionem fœminæ, cum ſpecialiori jure noſtro Saxonico fœminæ compromittentes, etiam in cauſa propria, curatore opus habeant. (b) Nec circa compromittentes tantum Romanorum agitata fuit ſollicitudo, ſed ipſis quoque judicibus ac arbitris limites poſuit cauta ipſorum inſtitutio. Ita in minores 20. ann. compromittere prohibet *L. 41. ff. b. t. j. L. 3. §. ff. b. t.* item in fœminas *L. f. b. t.* niſi jurisdictionem habeant *c. 4. X. de Arbitr.* Prohibi-

D 2 tis

tis hisce compromissariis ex communi sententia annumerare quoque solent Dd. judicem causæ ordinarium, ne pœna soluta, aut eo, quod interest, ex compromisso, ipse aditus tanquam suspectus repellatur, ad quod tamen in antecedenti §. jam respondisse sufficiat. Rem quoque patris, in qua & filius arbiter esse potest nec causam filii, quam patris arbitrio subjectam legimus, non exceperunt Romani legislatores, per *L. 6. ff. de recept. L. 77. ff. de judic. L. 9 ff. de recept. arbitr. L. 9. ff. de his qui sunt sui vel al.* Inconsultius tamen paululum, factum est, quando ad viros læsæ famæ officium arbitri *L. 7. ff. de recept. Arbitr.* extensum, *parvi enim*, inquit Ulpianus, *refert*, *ingenuus quis an libertinus sit; integræ famæ quis sit arbiter*, *an ignominiosus.* Sane ubi ad boni viri arbitrium fit provocatio, erit prudentiæ, de famæ quoque integritate esse persuasum, nec cadere debet in bonum virum suspicio minima; jam vero crimine notatus nec integer vitæ scelerisque purus judicis nomine dignum se reddere haud potest, cum ipse judex debeat esse vir bonus ac innocens per *L. 137. §. 2. ff. de verb. obl.* (c) cujus rei tamen cum regula, ob diversam ingeniorum propensionem, difficulter dari possit, cujuscunque litigantis consilio atque judicio, arbitri electio merito erit relinquenda.

(a) SCHILTER. Exerc. XII. ad ff. § XVII.

(b) Arg. P. 2. Const. El. XV. ibi Daß hinführo Wittwen und Jungfrauen, ohne Unterscheid des Alters, in allen Rechtlichen Processen, sie halten gleich Klägerin oder Beklagten statt, ohne Vormünden nichts beständiges handeln mögen.

(c) Optime hanc in rem HORATIUS Lib. I. Epist. ad Quinctium:

- - - *vir bonus qui,*
Qui consulta patrum, qui leges juraque servat.
Quo multæ magnaeque secantur judice lites.

§. XIV.

§. XIV.

Sed mos quoque obtinet in duos, ut apud Belgas & Gallos, vel plures compromittere arbitros, cum potestate eligendi superarbitrum: quodsi itaque plures eliguntur, cuncti habiles esse debent, atque præsentes alias compromissum & arbitrium pronunciatum erit nullum, *L. 17. §. 5. seqq. de recept. & L. 7. §. fin. ff. eod.* aliam enim laudi rationem forte addere vel mutare sententiam potuisset. Conjunctim inde regulariter ferre debent sententiam, nisi alternative fuerint electi, aut unus contumaciter sententiam dicere detrectet *c. fin. de Arbitr. in 6.* Si dissentiant arbitri, major pars utique concludit, *L. 27. §. 3. ff. de recept.* quod si vero numero pari sint constituti, votaque sint paria, ipso jure laudum pronunciatum erit nullum, nisi in quantitate dissensus pateat, tum enim minoris adprobatio valida erit, ac certa persona in casum discordiæ determinari potest quæ ab iis assumatur, *L. 17. §. 5. 6. ff. c. 12. X. h. t.* (a) Objiciunt nonnulli, infelici tamen successu *L. duo 28. ff. & L. inter pares ff. de re judic.* ac sententiam, ubi per *L. 27. §. 3.* si plures arbitri fuerint, & diversas sententias dixerint, sententiæ ipsorum non stari debere asseritur, destruere penitus conantur, sed distinctione inter Arbitros & Judices, eosque vel datos, vel ordinarios per *c. ult. X. de sent. & re jud.* omnis lis perit. (b) Pari ratione dijudicandum venit, *c. 1. de Arbitr. in 6. ibi: Ex tribus arbitris unus in quinque, duo in decem condemnarunt: sententia duorum prævalebit,* cum Textus in *d. L. 27. h. t.* intelligendus sit, si omnes arbitrorum sententiæ sint singulares, veluti si unus condemnaverit, alter absolverit reum. Expedit vero numero ut adhibeantur impari Arbitri, *c. 1. X.*

 h. t.

h. t. ne si ipsis dissentientibus pares sint sententiæ, res non possit invenire exitum. (c)

(a) CARPZOV. P. I. C. I. D. 14.
(b) DVAREN. ad h. t. conf. ALCIAT. 9. parerg. 13.
(c) PVFFEND. J. N. & G. L. V. C. XIII. §. 4.

§. XV.

Arbitri est, ut judicet atque sententiam dicat. Non omnes vero ipsius decisioni subjici possunt controversiæ, sed eæ tantum, quæ sunt arbitrii privati. Arbitri igitur munus cum non sit publicum, ut judicis *L. 78. ff. de Jud.* eaque de causa arbitris majores dicantur judices *L. 32. §. 7. ff. de recept. arbitr.* de publicis quoque rebus, criminibus publicis, & famosis delictis, *L. 32. §. 6. ff eod.* de causa populari, liberali, ubi circa libertatem hominis seu circa statum quæritur, causa matrimoniali *c. 9. X. de restit. in integr.* excusatione tutelæ *L. 3. ff. de recept.* laudum pronunciare ac definitivam ferre sententiam non possunt. De restitutione saltem in integrum ambigua est inter plurimos quæstio, an & illa arbitri sententiæ submitti possit? & magis eorum judicato adhærendum erit, quibus, si interesse privatum non egrediatur restitutio nec rationes publicas attingat, ut si contra fatalia processus sit facienda, arbitri illam pronunciato omnino subjiciendam esse videtur. Idem quoque erit dicendum de re judicata, quam immutare per arbitrum incongruum putant plurimi. Ita vero putant, non docent. Nihil enim obstat, quo minus litigantes haud circumscriptam ex circumstantiis licentiam habentes, judicio arbitri rem judicatam, si iniqua videatur ipsis judicis sententia, denuo subjiciant. A libero ipsorum dependet arbitrio, an stare sententiæ judicis velint, an re-

jicere

jicere eam, si læsio ab ipso facta sit, nec ullo vinculo juris obligantur, multo minus *cap. 11. X. de arbitr.* quippe quod rationi quidem status papalis minime vero justitiæ regulis & prudentiæ congruum videtur. Jam finem si respiciamus arbitrii, Compromissa utique ad similitudinem judiciorum rediguntur, & ad finiendas lites per *L. 1. & 37. ff. h. t.* pertinent; re tamen curatius expensa, augendi medium forte & prolongandi eas haud raro erit. Lites enim qui abhorret ac serio detestatur, cur non transigit potius & Arbitratori rem ex æquo & bono dijudicandam committit? In arbitrum vero compromittere, ut juxta consuetum ille juris ordinem legesque vel a judice vel a partibus convenientibus præscriptas privatas rem decidat atque definiat, idem est ac novam semper quærere instantiam, litigandique pruritum in perpetuum alere. Loquitur equidem in dictis LL. de finiendis litibus legislator, id quod de prolixissimo etiam processu dici potest, non vero præcise de abbreviandis. Sed ita fert humani generis indoles, ita conatus certandi ac litigandi pruritus, ad deteriora nonnunquam impellit mortales; hinc non legibus civilibus sed ex affectu hominum finis iste compromissorum quandoque dependet. At enim vero, suscepto semel judicandi officio, rite illo arbiter defungi debet ne compellat ipsum magistratus, nisi justam habeat excusationem *L. 3. §. 1. L. 32. §. 3. de recept. L. 9. §. f. ad Leg. Jul. pecul. L. 9. §. 4. 5. l. 10. seqq. de recept.* Hinc observato consueto ordine judiciario, nisi alius sit compromisso determinatus aut receptus, cognoscere saltem potest de negotiis commissis seu de re de qua est compromissum, & accessoriis *L. 32. §. 15. ff. de recept. c. 6. X. de Arbitr.*

bitr. non vero de reconventione, quoniam partium Compromissa in arbitros strictissimæ sunt interpretationis *L. 46. ff. b. t.* unde nec per alium in loco honesto, nisi specialior data sit substituendi potestas, laudum pronunciare debet, *L. 32. §. 16. de recept.* isto vero pronunciato reductio ad arbitrium boni viri non amplius locum habet; subscribendum tamen eorum opinioni, qui ob enormissimam læsionem arbitrium perinde ac transactionem rescindi putant, omnino videtur. Quare præter Jus Camerale, de quo *Recess. Imp. de anno 1594. §. 65.* & jura loci specialiora, statutaria & provincialia ad Jus Romanum correcta, appellationes ac reductiones difficilius permittunt. Inde Jus Wurtenb. *T. 8. p. 1. & T. 70. ibi:* Vom Ausspruch der erkiesenen Schieds-Richter soll auch keine Redemtion statt haben. Es wäre dann, daß jemand dadurch enormissime und zum höchsten lædirt und vernachtheilt worden. *It. Jus Noric. T. IX. L. 1. fin.* dicitur: ohne einige Reduction: Es wäre dann, daß derselbige Ausspruch wieder öffentliche Satzung der'er Rechte, oder durch gefährlichen Betrug des veranlasseten Richters ergangen wäre, (a) quæ reductionis licentia adhuc hodie invaluit, (b) cum alia sit arbitrorum ratio, alia arbitratorum, *L. 76. ff. pro soc.* qui veritatis æquitatisque amantes quantum moribus legibusque cuique tributum, tanto id agunt temperamento, ut quoad fieri possit, nulli perperam addicant, nulli inconsulto aliquid detrahant, sed conscientiæ suæ rationem habentes, unicuique, quod justum est attribuant, ac medium inter excessum & defectum ex bono & æquo sequantur. Jam vero ubi aliud est receptum, legibus utique privatis mori-

moribusque loci ac consuetudinibus specialioribus, quippe quæ generalibus semper derogant, standum erit.

(a) Appellatur ibi Compromissum seu receptum arbitrium, Hintergang & Anlaß, anlassen, annehmen, recipere : hintergehen videtur significare, idem quod evitare, declinare, ambages nempe processus & judiciorum, compendiose procedere: & notatio hæc peculiaris fuit veteribus hac in re, uff und hinter einen gehen, h. e. compromittere in quem. Sic reperitur in laudo Dieterici Archiepiscopi Moguntini, Gothofredi Archipincernæ de Limpurg, & Conradi Domini de Winsberg inter Episcopum Herbipolensem & Albertum Marchionem Brandenburgensem de An. 1442. ibi: Der sie dann von beyden Seiten uff und hinter uns drey obgenannte Herren gangen, gestalt haben, kommen und blieben sind, sie darum gütlichen oder rechtlichen zu bescheiden. Item in alio laudo de An. 1405. Friderici Burggravii Norimbergensis Conradi ab Eglofstein, magistri ordinis Teutonici, Comitis Joh. de Wertheim, & Friderici Schencki, Dn. a Limpurg, inter Johannem Episcop. Herbipol. & Johannem Burggravium Norimberg. ibi: Als sie der Spene und Irrung wegen gäntzlich und gar hinter uns vorgenannt gegangen, und bey uns blieben sind.

(b) GAIL. 1. Obs. 49. SAND. I. Decis. 14. Defin. 1. DVAREN. ad Tit. *de Recept.* MYNS. 4. Obs. 68.

§. XVI.

Ex fine itaque patet, quanta sit laudi pronunciati auctoritas. Norma utitur arbiter eadem qua Judex; Enim vero etsi non secundum rigorem apicesque juris & formulas, sed ex æquo & bono, sententiam dicere debet, regulariter tamen ad easdem leges jurisque species ad eundemque ordinem in iis adhibendum tenetur, ad quem judex obligatur, & compromissum etiam, in hoc, prout jam supra monitum fuit, ad similitudinem judiciorum redigitur. *L. 1. ff. de recept. arbitr.* In eoque conveniunt judicis & arbitri sententiæ, ut utraque ad leges & Jus publicum referri debeat; naturali vero juri ac gentium conveniens id esse, ipse GROTIUS no-

tat. (a) Stare igitur utique ſive juſtæ, ſive iniquè ſententiæ, vi compromiſſi compelluntur partes vel expreſſe, vel tacite, ſilentio decem dierum, comprobato. *L. 5. C. de recept.* Rationem ipſam adjecit VLPIANVS *in L. 27. §. 2. ff. h. t.* SIBI IMPVTET, QVI COMPROMISIT. (b) Diu equidem multumque inter Theoreticos & Pragmaticos agitata fuit quæſtio: Num contra Laudum ſeu ſententiam arbitrorum compromiſſariorum, admitti poſſit appellatio, vel ſimile quoddam remedium ſuſpenſivum & devolutivum? Ipſi Romanorum legislatores voluerunt ſemper ineſſe huic pacto compromiſſorio renunciationem cujuscunque medii ſuſpenſivi, vi formulæ: SENTENTIÆ STARI, (c) unde quilibet litigantium compromittens, etiam in caſu Laudi iniquioris, tacite beneficio appellationis renunciaſſe intelligitur; modo dolus arbitri abſit ac mala fides, cui renunciaſſe obligatio erga noſmetipſos non admittit (d) nec partes querelam iniquitatis in compromiſſo ſibi reſervaverint. Sed vero, cum ad ſopiendas lites illaſque imprimis abrumpendas ipſa naturalis ratio, moresque gentium ſaniores introduxerint arbitria, male ſane ſibi conſulere videntur, qui longiori litigio ſeſe ſubmittere, atque per appellationes infinitis forte litigandi modis viam aperire ſtudio intendunt. Finis inde compromiſſorum primarius nequaquam obtinetur, lites prorogantur, ipſaque res belligerantium, quippe quorum intereſt, ut res ex bono & æquo, qua fieri poteſt brevitate, decidatur, deterior redditur. Ceſſare equidem ipſum quod per *Nov. LXXXII. c. 11.* ſacratiſſimus imperator jus introduxit, cujus vi læſus ſententia arbitri, pœna ſoluta ad judicem ordinarium litem deferre

ferre poteſt, moribus tamen noſtris beneficium appellationis, ſeu potius reductionis ad boni viri arbitratum, recepta huic juri Romano in ſolatium litigantium additum eſſe, multi contendunt; ſed quid inde? jam de novo litigandi modum aggrediuntur partes, ac iterum inter dubium rei eventum ancipites hærent, an pronunciatæ a judice ordinario, an vero, ſi reductio ad boni viri arbitratum facta ſit, hujus ſententiæ ſtare poſſint, nam & de hac datur appellatio. Ita juris erit incerti, ſi indiſtincte ab arbitrio appellare licitum ſit, cum de novo non tantum ſemper litigia oriantur, ſed deſtruantur quoque arbitriorum fundamenta penitus. Ex parte igitur non ex toto iſta juris Romani præſumtio de tacita renunciatione remedii ſuſpenſivi, & ſubmiſſione ſententiæ etiam iniquiori, ceſſat, cum moribus noſtris ſemper in Laudum compromitti præſumatur, ſi ſit rationi, juſtitiæ, vel æquitati conſentaneum, ſi viro bono conveniens, ſi diſcretum, ſi ſine lata culpa & læſione enormiſſima. Judicis inde erit prudentis ſi difficilior per viam appellationis contra Laudum Compromiſſi, ad ipſum pateat aditus, officio potius ipſius incumbit, ut, ſummariſſima cauſæ cognitione inſpecta, an ſcilicet læſio allegata ficta ſit aut dubia, appellationem rejiciat, ſi vero pateat rei veritas, vel moribus forte ſit introductum, caute in ſe judicandi munus ſuſcipiat. (e) Conſtare ex his, rei naturam ſi ſpectes, utique arbitror a ſententia ab Arbitro ſemel lata non debere recedi, inde jure contra eum, qui compromiſſo contravenit, licet nulla pœna adjecta ſit, neque ſtipulatione compromiſſum roboratum, ex nudo pacto ad id, quod intereſt, datur actio, ex quo tamen non ſequitur, cogi propterea

poſſe arbitrum ad dicendam ſententiam, hoc enim nihil ad arbitrum. Illud ſaltem moribus ac jure Germanorum, quippe qui contumeliam fieri arbitris, prout Romanorum expoſcunt conſtitutiones, non arbitrabantur, ſi laudo arbitrorum impune obſequium non præſtetur prohibendum, ne pendente compromiſſo, ante diem adeat judicem pars altera, arbitrium eludatur, ac res ſit mali exempli, juris enim utique naturalis eſt, ut cognitione arbitrorum durante nihil innovetur. (f) Conſequitur autem, ſi ſententiam abſolutariam dixerit arbiter, exceptionem abſolutus *L. 5. pr. C. de recept.* ſi condemnatoriam, victori acquiritur actio in factum, qua victum coram judice ordinario ac competente, ut latam ſententiam impleat, urgere poteſt, quanquam nudo pacto ſit factum compromiſſum, & ſententia ab utraque parte ſiue expreſſe ſive tacite ſit comprobata de qua approbatione tamen alia inter noſtros invaluit ratio, nec uſu hodierno neceſſario requiritur. Sed adhuc notandum venit de exceptione litis pendentiæ an illa ex compromiſſo valeat. Negatur illud Jure Romano, ubi in compromittentium equidem non erat poteſtate compromiſſum eludere, *L. 30. ff. de recept.* pœnitere tamen, & rem de qua compromiſſum eſt, in judicium deducere, non expectata arbitri recepti ſententia, licebat, addita ratione, qua ſolvendo pœnam aut id, quod intereſt a præſtatione facti civem Romanum liberari permittebatur, ac pœnæ petititio contra eum, qui non exſpectabat arbitri ſententiam, dabatur. In foro equidem Germanico, contra reſilientem a compromiſſo ad judicem ordinarium, dari exceptionem litis pendentiæ certo certius quidam aſſerunt cum conſtet,

fontem

fontem juris Germanici, ex fide Germana (g) deduci debere, qua pacta conventa ſic ſervantur, ut ad præſtationem facti, ſi quam continent, præciſe obligatio competat & actio, niſi ubi jus civile receptum expreſſe & mores patrii reprobati. Aſſerto ſubjungunt rationem quod receperint Rom. Jus Germani, (hancce autem, de qua loquimur, conſtitutionem, moribus Germanicis, antequam jus Romanum receptum eſt, obtinuiſſe, dari illis lubenter poteſt) quatenus genuini juris principiis non repugnat, minime tamen ut juri ac moribus patriis derogaret hac poſita regula: quoties juris Romani Principium, principiis juris patrii repugnat, patrio jure Germanos uti, niſi Juris Romani diſpoſitio lege vel conſuetudine recepta probetur. Sed praxis fori hodierni Germanici cum non ex mera fide Germanorum procedat amplius, atque ad faciendum obligatus liberetur præſtatione ejus quod intereſt *L. 68. ff. de V. O.* Illuſtris MENCK. in Theor. & Prax. *Pand. L. XLV. Tit. 1. §. 21.* dubito an huic aſſerto omni ex parte ſtari poſſit.

(a) GROT. de J. B. & P. L. III. 20. 47.
(b) PLINIVS in HIST. NAT. PRÆF. ait: adeo ſummum quisque cauſæ ſuæ judicem facit quemcunque elegit. Conf. L. 76. ff. *Pro Soc.*
(c) TRENTACINQ. Reſol. Pract. Lib. II. de Appellat. Reſol. III.
(d) BRISON. Lib. VI. de Formul. p. 559.
(e) PVFFEND. J. N. & G. L. V. Cap. XIII. §. 4. in fin.
(f) CARPZ. Proc. Civ. 2. 3. 50.
(g) PVFFEND. J. N. & G. L. V. C. XIII. §. 6. in fin.
(h) TACIT. C. XXIV. de Morib. Germ.

§. XVII.

Varie prouti monitum eſt, pro negotii varietate conſtituuntur arbitri compromiſſarii, hinc diverſimode quoque diſſolvuntur eorum compromiſſa & ad finem

 per-

perducuntur. Definit arbiter compromiſſarius ſi ſemel ſententiam dixerit definitivam *L. 55. ff. de re judic. L. 19. §. f. ff. de recept.* & proprie illud finem compromiſſo imponere dici poterit. Abrumpitur vero morte partim arbitri, niſi in eum non tam intuitu perſonæ, quam ratione officii eſſe compromiſſum conſtet *c. 11. §. præterea X. de offic. judic. ordin.* id quod non raro accidit; partim litigantium, niſi in hæredes facta ſit quoque compromiſſi extenſio. Non tranſit autem ad hæredes compromittentium, ipſum compromiſſum, niſi expreſſe idem illud ad hæredes utriusque extenſum ſit, *c. ult. X. de arbitr.* expreſſio vero hæredum, ex una parte, minime valet, *L. 49. §. 2. ff. de recept.* alias in præjudicium partium majori vinculo obſtringeret partem alteram & claudicaret compromiſſum. Pari ratione ex lapſu temporis ſeu termini adjecti, *L. 21. §. 8. L. 32. §. 3. ff. L. 1. C. de recept.* nec non compromiſſi remiſſione, acceptione judicii vel electione aliorum arbitrorum, item tranſactione, conſenſu mutuo, non vero unius ſaltem partis pœnitentia colligi finis compromiſſorum poteſt. Evaneſcit vero compromiſſum, niſi aliud forte actum ſit, pœna ſoluta ac controverſiæ aut rei, de qua controvertitur, interitu, niſi loco rei intereſſe adhuc peti queat. *L. 35. §. 5. ff. de recept.* Libertati vero naturali, & ſummis poteſtatibus, quanquam hoc genus judicii maxime eſt conveniens, & hinc antiquiſſimum, (a) nec ſuperioribus temporibus deſitum, rarioris tamen eſt uſus, ac magis magisque propter nimiam inter mortales diffidentiam proprii commodi ſtudium, ac ſolitas eluſiones, in deſuetudinem abiit. Modi hujus finiendæ controverſiæ fundamentum ac ratio ea præcipue genti Romanæ fuit, ut

Magi-

Magistratui ordinario, qui aversabatur litium ambages atque frequentiam, unde judiciorum tam varia constitutio prorogandæque jurisdictionis ingens libertas, consulerent, ac juris dicendi onere sublevarent ipsum, nec non partium conditionem, compendio litis, ac secundæ instantiæ renunciatione, meliorem redderent. Sed quem Romani præcipue intendebant finem, ille nostris moribus a Magistratibus hodiernis, ob jurisdictonem patrimonialem factam, ac sportularum forte opimitatem, minus desideratur. Alio sensu compromissa hodie occurrunt, quæ fori Germanici dici solent, quæ sunt conventiones seu pacta non recepta, nam in hoc a forma compromissi Romani seu Civilis, quod partium compromisso & recepto arbitri absolvebatur, differunt, quæ nec laudum nec reductionem desiderant, quibus litis ambages tolluntur, quo judex competens, vi jurisdictionis ordinariæ, eo celerius controversiam ad finem perducere queat. (b)

(a) GROTIVS de J. B. & P. II. 23. PVFFEND. J. N. & G. L. V. C. XIII.

(b) De hisce Compromissis professa opera egit PERILLVSTRIS DN. RITTER. in Dissert. de Comprom. For. Germ. Altorff. 1693. conf. CARPZ. P. I. C. I. D. 15.

§. XVIII.

Distinguebatur Jure Romano, utrum compromissum nudo pacto esset initum, an vero stipulatione. Posteriori casu ex stipulatu actio comparata erat vel ad satisfaciendum sententiæ vel ad pœnam solvendam, salva electione actoris, in cujus favorem pœna adjicitur *L. 30. ff. de Recept.* Porro, si nudo pacto erat initum, robur sententia habebat ope exceptionis, quæ ex omni nudo pacto jure prætorio dabatur; si vero ex stipulatione, & effectu carebat sententia & executione, quia ex nudo

pacto

pacto non dabatur actio, & ita reus, ut satisfaceret sententiæ, actione compelli non poterat. Ipsum jus antiquum recenset JVSTINIANVS *in L. pen. C. h. t.* ubi distinctione quadam utrum subscripserint litigantes sententiæ nec ne, rem dirimit controversam. At enim vero tam jure canonico quam moribus nostris ac hodiernis, sententias arbitrorum, sine exceptione ac simpliciter, nec interposita intra decem dies proximos protestatione ac contradictione, valere conclamata res est. Stipulationum enim usus jure Canonico nullus erat, sed simplici consensu compromissa constabant, hinc ubique litigantes ad arbitria servanda compellunt canones *c. 2. in f. c. 4. 9. & 13. X. de Arbitr.* cum Jure Canonico ex simplici compromisso efficax nascatur actio. (a) Hisce itaque præsuppositis, luculenter apparet, nullum contra sententiam arbitri remedium locum habere, nisi partes sibi quoddam reservaverint. Sed prout aliis in regulis sic nec hic quoque sibi constat Jus Canonicum. Subscribere sententiæ videtur pragmaticorum, reductionem ad arbitrium boni viri comprobantium, cum in *C. 2. X. de Arbitr.* dicatur, Arbitrium tunc demum servandum esse, *si æquitati subnixum fuerit.* Hoc vero affirmato, extra omne dubium erit, prout jam supra monuimus, non tollendi sed litigia differendi causa arbitria esse inventa, cum, si sententia arbitri ordinario judici, id quod per reductionem ad arbitrium boni viri intelligi poterit, adhuc demum subjiciatur, id utique probetur, sententiam ab arbitro pronunciatam æquitati minime esse subnixam. Sed æquitati simulatæ ac justitiæ cerebrinæ cum quandoque faveat Jus Canonicum, ex ista scaturigine ipsius sæpe promanant

nant cautelæ. Ita cum Jure Civili in unum vel plures, adjecta vel omissa clausula: sambt und sonders, vel: sambt oder sonders, compromittere *L. 17. in fin. L. 18. ff. de recept.* permissum, harumque legum decisio satis probata sit, ab ea tamen recedendum sibi esse existimavit BONIFACIUS VIII. *in C. 2. de arbitr. in 6.* addita ratione, ut quæstionibus seu litigiis finis celerius imponatur, ita tamen ne ad judices delegatos regula ista sit extendenda, sed ut circa illos jura antiqua obſerventur; quæ regula tamen, cum ex ingenti potius jus civile corrigendi pruritu quam sanioribus justitiæ principiis fundata ratione exorta sit, dubito, an in foro nostro, quanquam alii aliter sentiant, (b) locum inveniat. De fœminis, quæ Jure Romano ab arbitrio, cum a publicis officiis in genere sint remotæ, excludebantur, diversa a Jure Civili Canonistis est ratio; possunt enim Jure Canonico admitti si jurisdictione ordinaria sint præditæ, *C. 4. X. de arbitr.* Inde Abbatissæ superioritate territoriali gaudentes, & quæ jurisdictionem patrimonialem, ratione castri quod possident, habent, arbitrium recipere ut sententiam dicant non prohibentur, modo consiliarii ac justitiarii, quod utique præsumi debet, per quos jurisdictionem suam exercent, ipsis assident; ex quo simul patet, substituendi facultatem, quæ alias electis Arbitris, nisi per speciale mandatum, minime competit, *C. 13. X. h. t.* tacite ab iis, qui in ejusmodi illustres personas compromiserunt, ipsis esse concessam, quippe quæ jurisdictionem per eos saltem, quibus eandem demandarunt, exercent. Contraria tamen ratio obtinet in Laicis a compromisso plane remotis per *C. 8. X. h. t.* quod in causis spiritualibus & Ecclesiasticis in Laicos ne com-

F promit-

promittatur jubet, *quia* ait Pontifex, ***non decet***, ***ut Laicus in talibus arbitretur***. Sed cum ſtatus rationem principium iſtud papale aperte redoleat, utique affirmari poterit, eatenus admittendum eſſe compromiſſum in cauſis ſpiritualibus, quatenus de iis tranſigere licet, ac valere illud non in eccleſiæ ſed compromittentis præjudicium. Hinc in quantum arbitria recipiunt ejuſmodi cauſæ ſpirituales, ad noſtra fora non erit referenda Pontificis deciſio, id quod ex conſtitutione & ratione noſtrorum Conſiſtoriorum liquido patet. Aliquando etiam interpoſito Jurejurando Arbitros fuiſſe aſſumptos conſtat ex *L 4. C. de Arbitr.* illudque vocatur ibidem, *Arbitrium ſanctiſſimum;* Sed jusjurandum cum ad validitatem negotii nihil de jure civili conferat per *L. 5. C. de LL.* ne ita perjuria metuenda eſſent, (ſuperatus enim nihil non tentare ſolet, ut laudum effectu careat,) JVSTINIANVS *in Nov. LXXXII. c. 11.* prohibuit, ne juramenta compromiſſis accederent. (c) Quæ vero prohibuit legum civilium ſobria diſpoſitio, ea minime ſequutum eſt Jus Canonicum ſed potius huic juramentorum extrajudicialium uſui, contra ſanctiora ipſa principia, majorem vim tribuit atque per *C. 2. de pact. in 6.* fraudes, quæ ſub iis latitant, magnopere promovet. Magis tamen principiis Juris communis conforme quid produnt Pontificum canones, id quod in Praxi & merito obſervatur, ubi compromittendi facultatem in cauſis commiſſis ſine ſpeciali ad litem dato mandato, procuratoribus haud concedunt *c. 9. X. de Arbitr.* ac pari ratione Prælatis atque Epiſcopis ſine capituli compromittere conſenſu, utpote qui toties neceſſarius eſt, quoties ardua cauſa ſuſcipienda eſt nomine eccleſiæ cathedralis,

h. e.

h. e. totius cleri, interdixerunt. *c. 1. de his quæ fiunt a Prælato sine consensu capit.* nec Arbitris quoque, secundum *c. 13. X. h. t.* nisi potestas iis concessa fuerit, substituendi alios erat facultas. Sed nec de criminalibus utut ex Jure Civili constat, quoniam de rebus privati arbitrii tantum compromitti potest, Jure Canonico compromittere licebat, quibus & causæ matrimoniales, (d) beneficiales & spirituales, ex communi fonte atque principio: qua de re transigi non potest *c. 7. X. de transact.* de ea quoque vix compromitti, de qua autem transigi nequit de ea quoque compromittere integrum haud est, adjungebantur. Nec obstat *Cap. 8. X. de Arbitr.* ubi de rebus spiritualibus in Clericum compromittere permittitur minus tamen in Laicum, cum semper in compromissis de rebus ad ecclesiam pertinentibus consensus Capituli subintelligendus erit, adeoque firmiori nititur fundamento regula: si transigere liceat de rebus ecclesiasticis ergo & compromissum valebit, quæ tamen non ad privatos beneficiorum possessores, aut ad ipsum officium sacrum, si lis circa illud moveatur, extendenda venit, quippe non privati sed publici juris est, ac toti Collegio, seu Consistorio unice, tanquam judici competenti, de re ad ecclesiam pertinente sententiam dicere competit. Coronidis loco quæstionem illam, an si pares Arbitri assumti cum clausula ut in casu dissensus tertium seu Super-Arbitrum einen Obmann assumerent partes, tertia certa persona sit eligenda? apponere non abs re erit. Jure equidem Civili per *L. 17. §. 5. ff. de recept.* omnis perit difficultas & de affirmativa sententia omnino pronunciare videtur legislator. Accommodare sese voluerunt ad mentem Juris Civilis Canonistæ,

 infe-

infeliciori tamen paululum succeſſu, cum duos latere caſus in *d. L. 17.* alterum *ſi diſſentirent partes ut tertius in compromiſſo non nominatus ſit aſſumendus*, alterum *ſi ſimpliciter tantum duo dati ſunt arbitri*, aſſerant. Priori caſu admittit compromiſſum Pontifex per *C. 12. X. h. t.* minus tamen poſteriori. Probare potius contendit, per *c. 39. X. de Offic. & pot. judic. delegat. & c. 61. X. de Appellat.* ut quando duo Arbitri ſimpliciter ſunt dati, diſſenſus vero inter illos ortus eſt, cogi poſſint ut tertium aſſumant; quæ tamen deciſio a mente Legislatoris aliena videtur, nec mentem legis, quæ ut illam perſonam in compromiſſo jam nominatim expreſſam aſſumere cogantur, aperte vult, minime aſſequitur. Et quanquam nimia hac in lege Juris Civilis ſubtilitas negari haud poterit, ea tamen exploſa ſatis; contrarium hodie ex frequentiori ejuſmodi compromiſſorum uſu ſervari ſolere patet. (e) Ita vero Jus Canonicum non ſibi conſtat.

(a) BOEHMER. Jus Eccl. Lib. I. Tit. XXXV. §. IV. LANCELOTT. Inſtit. Jur. Can. Lib. III. Tit. IV. §. 1. Id. Lib. III. Tit. III.
(b) GROENWEGEN. ad L. 18. ff. *de recept. Arbitr.* conf. LAVTERBACH. de Arbitr. Compr. §. 25.
(c) VAN ESPEN Jus Eccleſ. Lib. III. Tit. V. Cap. IV.
(d) CARPZ. Jurispr. Conſ. Def. 233. n. 4. MEVIVS P. V. Dec. 210. n. 5.
(e) VAN ESPEN Jus Eccleſ. P. III. Tit. V. Cap. IV. §. 15

§. XIX.

Diſcuſſis igitur, quæ ad Arbitrorum ex Jure Romano atque Canonico originem, conſtitutionem & ut breviter dicam, ad illorum cauſas atque effectus viſa ſunt; ideoque iſta ad Colophonem perducta parte, temporis non minus, quam juſti ordinis ratio expoſcere videtur, ut paucis quoque de Arbitro feudali diſpiciamus.

ciamus. Ex præcedentibus jam patet, unde Arbitri vocis ſignificatus ſit deducendus, hinc circa Etymon Arbitri feudalis, cum uterque & Civilis & Feudalis arbiter ex eodem fonte natales ſuos derivet, parum erimus ſolliciti. Differentia Arbitri & Arbitratoris, cum manifeſta ſit, vocabula autem iſta promiſcue uſurpentur, rei hujus ex lege conventionis & negotii qualitate, utrum in Arbitrum, an vero in Arbitratorem, compromiſſum ſit, cognitio haurienda erit. (a) Dividuntur in Arbitros compromiſſarios, Auſtregas Conventionales, & Auſtregas ordinationis, minus tamen differunt Auſtregæ Conventionales ab Arbitris compromiſſariis, quanquam opinio circa illos exſtat multorum, qui ad perſonas Nobiles litigantes atque Illuſtres reſtringere volunt, cum tamen nihil aliud ſint, quam Arbitri, quorum cognitioni & deciſioni, Familiæ Illuſtres ac Nobiles, lites ſeu controverſias ſuas, per certum compromiſſum pacto initum ſubmittunt, (b) & dicuntur **Stamm-Austräge, Erb-Austräge, gewillführte Austräge**, quales Saxoniæ ducum familia habet, ab Electore Auguſto, Joh. Friderico ſeniore Electore nato, Joh. Frid. medio, Joh. Wilh. & Joh. Frid. juniore, Ducibus Saxoniæ anno 1554. 24. Febr. Naumburgi, poſtea a Carolo V. Imperatore confirmatos. LIMN. *L. V. Cap. XV. §. 4.* Quicquid enim obtinet in Arbitris Compromiſſariis inter privatos, idem etiam in Auſtregis Conventionalibus inter Nobiles atque Illuſtres familias atque Imperii Cives, æquitas ſuadet. Auſtregæ ordinationis, qui judices ſunt primæ inſtantiæ, ad hoc, ut actor ſtatum Imperii Privilegiatum non ſtatim in Camera Imperiali vel Judicio Aulico convenire poſſit, ſed primo

 omni-

omnium Principis cujusque & Status Austregas adire teneatur, jurisdictionem habent eamque ordinariam. (c) Anceps est Dd. de judicandi ac decidendi ipsorum inter litigantes jure opinio, an scilicet cognoscendi judicandive de Imperialibus Feudis competat ipsis potestas? ita quidem videri posset ob generaliora Textus verba *in Ord. Cam. P. II. tit. 7.* Ast enim vero indoles & natura controversiarum Feudalium quibus disceptandis peculiaris judex forumque competens præstitum fuit, cum ad ordinarium judicem devolvi non patiatur, ideo nec Austregis circa harum cognitionem dijudicandi jus erit, nisi ubi de jure Hypothecæ alicui constituto vel alio simili agitur, & in genere, si dominus Feudi judex esse non possit nec ex compromisso Arbiter existat *1. Feud. 18.* (e) aut ubi alias causa ad ordinarium judicem pertineat. (f) Illæ saltem causæ coram Austregis ventilantur, quæ ita sunt comparatæ, ut recto tramite per viam appellationis, pro communi plurimorum doctorum sententia ad Cameram devolvi possunt. (g) Eadem quoque est multorum de Arbitris Compromissariis, qui tantum cum Austregis Conventionalibus imprimis affinitatem habent, ut multi Juris Publici Dd. permiscere eos, aut minus accurate a se invicem distinguere soleant, (h) dubia opinio atque ambigua. Vexatissima inde de his oritur quæstio, an Status Imperii de Regalibus Imperii Feudis prætermisso Cæsare in Arbitros compromittere possint? negativam tuentur sententiam KLOCKIVS, *Tom. I. Cons. 50. qu. 1.* SCHRADERUS, *de Feud. Part. X. Sect. 1. n. 166.* BRUNNEM. *ad L. 32. ff. de recept. n. 9.* Quibus tamen contradicunt & eosdem ad causarum Feudalium cognitionem admittendos esse contendunt

dunt LVNCKER. *de Gravam. Extraj. Cap. 5. Sect. 1. §. 20.* STRVV. *in Exerc. Feud. 16.* VVLTEL *de Feud. Libr. 2. n. 3.* aliique (i) qui ex *2. F. 15. pr. 2. F. 34. verf. ſi autem inter pares 2. F. 46. pr. 2. F. 26. §. ſi vaſallus*, rem omnem demonſtrare conantur; quibus tamen textibus, ſi ad certos quosdam caſus, quibus nempe cauſæ Feudales ad Arbitros pertinent reſtringantur prius tutior adhibenda erit fides, hoc non obſtante, quod Vaſallo absque conſenſu atque præſcitu Domini directi litem movere coram judice, quidni etiam coram Arbitro, qui eundem, quem judex obſervare tenetur Proceſſus ordinem, permiſſum ſit. Nec Arbitratori, quem cum Arbitro confundunt ſæpius Feudiſtæ, tanquam judici res controverſas, non obſervato judiciorum ordine ex æquo & bono componenti, de cauſa Feudali controverſa dicendi libertas, omni ex parte meo quidem judicio, deneganda erit. Varia equidem eſt hac de re variorum ſententia, ac negativam, cum ejusmodi arbitramentum a transactione & alienatione, quæ tamen interdictæ ſunt vaſallo (k) parum differat, tueri amant quam plurimi. At vero cum ex communi Feudorum jure vaſallis de beneficio litigioſo tranſigendi licentia paſſim concedatur, modo nihil doloſe aut fraudulenter, ſed omnia bona fide & dubiæ litis timore agantur, *2. F. 26. §. ſi vaſallus de benef. & 2. F. 43.* eo minus de Imp. Vaſallis ambigi poteſt, quo major illorum poteſtas atque libertas paſſim deprehenditur, qua de Feudo tranſigere poſſunt modo jus liquidum non remittant ſalvo tamen manente Dominio directo. (l) Igitur a Feudis penitus Arbitratorem non removendum eſſe, ſi ad Feudi alienationem non tentat arbitramentum, juſte cenſetur, quippe qui cadem juris

via,

via, qua Arbiter Compromiſſarius eligitur ac eadem ratione, ne Vaſallus Feudi poſſeſſione excidat, componere cauſam poteſt. Non alia enim ex cauſa libero partium conſenſu Arbitratoribus traditur dicendi poteſtas, quippe qua diſſidii compoſitio leviori modo facilioribusque impenſis obtinetur, quam ut certificationem in contractibus, ut pacem inter belligerantes, ut amicitiam inter diſſidentes, pro æquitatis principio honeſtis conditionibus procurent. (m) *L. 37. ff. de recept.*

(a) GAIL. Lib. I. Obſ. 150. n. 5.
(b) SCHVBART. de Auſtreg. Cap. VIII. Confirmavit eos MAXIMILIANVS Imper. in Ord. Camer. Wormat. de Anno 1495. verbis: Welche ſonderliche gewillführte rechtliche Außträge wieder einander haben, der ſollen ſie ſich laut derſelben gegen einander gebrauchen.
(c) MYLER. ab EHRENB. de Stat. Imp. P. I. cap. 10. §. 39. RHEZ. Inſtit. Jur. Publ. Lib. IV. Tit. 2. §. 4. HORN. de For. Auſtregar. Diſp. 12. Th. 5.
(d) ITTERVS de Feud. Imp. Cap. XXV. §. 21.
(e) RHETIVS ad hunc Textum p. 431. n. 6.
(f) SIXTIN. Lib. I. de Regal. Cap. 8. n. 61. BLVM. Proceſſ. Cam. Tit. 41. n. 8.
(g) ORDIN. CAM. P. 2. Tit. 6. ROSENTHAL. de Feud. Cap. XII. Concl. 1. n. 27. 28. ſqq. STRVV. de Feud. Cap. XVI. d. 5. n. 5. LIMN. Jus Publ. Lib. IX. c. 5. n. 76. ſqq. ubi cauſas ab Auſtregis exemptas enumerat quindecim. WEHNER. in obſerv. verb. Außträge.
(h) SCHILTERI Prax. Jur. Rom. Exerc. XII. §. 5. 7. & 8.
(i) LVDWEL. de Feud. cap. 15. SCHVRF. Cent. 2. Conſ. 53. n. 1. ſqq. FINCKELTHAVS Diſp. feud. 9. Controv. 14.
(k) ROSENTHAL. de Feud. Cap. IX. Concl. 22. n. 1.
(l) HORNII Jurispr. Feud. Cap. XIX. §. 11. ITTERVS de Feud. Imp. Cap. XXIII. §. 6.
(m) CARPZ. J. P. F. P. 1. Conſt. 1. Def. 9. & ſqq. BERLICH. Concl. Pract. P. 1. Concl. 7. n. 30. ſqq.

§. XX

§. XX.

Proxime ad Arbitrum Feudalem accedunt, Austregæ familiarum, quando, prouti ex dictis patet, Nobiles familiæ atque Illustres rem controversam cognitioni sententiæ seu decisioni Arbitrorum submittunt, & eliguntur vel liberrima litigantium voluntate, vel ex necessitate pactorum in familiis constitutorum, unde Arbitri Pactitii, vel ex necessitate statutorum unde Arbitri Statutarii; (a) gaudent vero Statutarii jurisdictione ordinaria, inde a Compromissariis differunt, quamvis contrariam JOH. BAPTIST. (b) aliique fovent sententiam, (c) cum e contrario Arbitris Pactitiis privatorum pactis jurisdictio nulla tribui possit, nisi specialiter in pacto de Arbitris inter illos inito de jurisdictione quadam arbitrio paciscentium justo cautum sit. Inde ab illis, tanquam cum Regalibus perpetuo investitis principibus, & ab ejusmodi Arbitrorum sententia utique valere appellationem jure dicendum erit. Cognatus porro est Arbitro Feudali Commissarius Feudalis, qui ad lites exortas citius componendas partibus ut plurimum datur volentibus, (d) die Parthenen zu vernehmen, und gütlich zu vergleichen, oder zu berichten, (e) cujus officium nisi committenti extendere illud vel limitare lubeat, iis imprimis absolvitur partibus, ut formam commissionis quoad verba præscripta seu Rescriptum Commissoriale exacte ac probe observet, nec ullo modo limites jurisdictionis excedat. *c. 22. in fin. X. de Rescript. c. 33. X. de offic. de Leg.* (f) id quod tamen superstitiose nimis intelligendum non venit. Hinc si partes litigantes etiam de puncto incidenti aut diverso ac limites Commissionis plane excedente componi cupiant, Commissarium ut Arbi-

G trum

trum privatum ſeligere ejusque arbitrio ſe ſubmittere impune poſſint, tunc enim, ſi non vi Commiſſionis, certe vi Compromiſſi, valebit deciſum Commiſſarii. Variis inde gaudet juribus, quibus ipſe ab Arbitro diverſo modo diſtinguitur. Ita enim cum in Arbitro eligendo minime concurrat magiſtratus, ſed ſola partium conventione conſtituatur, ab ipſo Principe vel Magiſtratu Commiſſarius ponitur, & habet inde jurisdictionem ex Commiſſione Superioris delegatam. (g) Porro ſolum arbitrium interponit Arbiter lataque ſententia ad finem perducit litigium, ipſe vero Commiſſarius ad varia negotia pertractanda ponitur modo ut teſtes examinet, Arbiter enim teſtes ad dicendum teſtimonium cogere non poteſt *L. 3. C. de Jurisd. omn. jud.* Illuſtris MENCK. *in Theor. & Prax. Pand. lib. 4. Tit. 8.* §. *8.* modo ut rationes calculet, modo ut cauſa cognita ſententiam dicat, & ad deciſionem committentis acta remittat. Deinde non omnes cauſæ Feudales coram Arbitro ventilari promiſcue poſſunt, bene tamen coram Commiſſario feudali, cui quæcunque controverſiæ Feudales, quarum cognitio ipſi alias Domino directo competit, ipſius tanquam Commiſſarii delegati judicio ac ſententiæ ſubjiciuntur, a qua tamen leuteratio & ad Committentem appellatio admittitur *L. 1. ff. quis & a quo appell. L. un. C. qui pro ſua jurisd.* quod ſecus in Arbitro, cujus laudo ac ſententiæ latæ, nulla interpoſita leuteratione vel appellatione, omni ex parte ſtare debent litigantes. (h) Ultimo loco circa familiarum Auſtregas quæſtio iſta, an ſuper controverſia fideicommiſſi aut bonorum familiæ cognoſcere poſſint? ventilanda venit. Quamplurimi equidem tam tranſigendi, quam compromit-

promittendi licentiam ab ejusmodi bonis excludendam volunt, cum utique constet quod fideicommissa familiæ alienationi perinde ut Feuda masculina non sint obnoxia, sed proximo relinquenda agnato. (i) Ast cum a Feudis ad fideicommissa familiæ valide argumentari liceat, in Feudis vero, prout ex dictis patet, in Arbitrum compromitti interdum licite possit; ita non omne compromissum quoad fideicommissa familiæ invalidum censendum, (k) nec sententia Arbitri Compromissarii hac de re lata plane prohibita dijudicanda.

(a) MODESTIN. PISTOR. P. II. Qu. 73. n. 2.
(b) JOH. BAPTIST. de Arbitr. Qu. 6. n. 2.
(c) CRAVETT. Lib. II. Conf. 201. n. 28.
(d) RVLAND. de Commiss. L. II.
(e) STRYCK. in Introd. ad Prax. forens. cap. 2. §. 6.
(f) GAIL. Lib. I. Obs. 35. n. 2.
(g) CARPZ. Proc. Tit. 2. Art. 3. n. 6.
(h) CARPZ. Lib. III. Resp. 124. RVLAND. de Commiss. P. I. L. V. c. 13.
(i) KNIPSCHILD. de Fideicommiss. Famil. Cap. XI. n. 109.
(k) STRYCK. de Arbitr. Feud. Cap. V. §. 17. sqq.

§. XXI.

Prout igitur Jure Civili compromisso litigantium Arbiter super re controversa constituitur *L. 11. §. 1. ff. de recept.* pari ratione & in Feudo eligunt ac conventione ad controversias suas quasi judicialiter determinandas Arbitrum ponunt belligerantes simulque illius laudo se staturos invicem promittunt *L. 27. §. fin. ff. L. 5. C. pr. b. t.* Officium autem subire Arbitri uti invitus cogi nemo potest *L. 3. ff. eod.* ita nec litigantes citra consensum minime coguntur, ut inviti in Arbitrum compromittant, cum nemo ordinario judicio invitus renunciare teneatur.

tur. (a) Electio Arbitri in Jure Feudali cum constitutione Arbitri Juris Civilis coincidit; interim tamen quilibet compromittentium cavebit, ut potius viri honestæ ac integræ famæ eligantur, id quod præcipue in causis Feudalibus observandum puto, quippe quæ cognitioni ac sententiæ viliorum hominum minus erunt subjiciendæ, ne habeat altera pars unde de novo forte litem movere latamque sententiam dubiam reddere possit. Jure vero judicem ordinarium, prout supra dictum est, Arbitrum & in causa Feudali posse poni, dubitationi nullus erit locus, cum Jure Canonico judex & Magistratus in eadem causa & Arbiter esse possit. *per C. 5. 7. 10. X. de Arbitr.* (b) idque moribus hodiernis receptum, consuetudine ac plurimorum JCtorum testimonio adprobatum legimus, (c) non obstante supra jam dictæ legis famosæ *9. ff. de recept.* sententia, ac vulgata illa inter Magistratus & judicem ex *L. 3. ff. h. t.* distinctione. Ex æquo & bono hac de re MEVIVS judicat *l. c.* ac compromissum in judicem ordinarium ratione defendit æquissima; scilicet ut lites abbrevientur & judex in causa competens, in quem compromissum, formam quidem & modum in compromisso præscriptum observare teneatur, juxta compromissum autem non ex compromisso, ac vi competentis publicæ potestatis atque jurisdictionis sententiam dicat. (d) Hoc igitur posito ipse dominus directus in causis simpliciter ad cognitionem domini feudi pertinentibus, Arbiter a litigantibus constitui potest, adeo ut & Con-Vasallis inde licitum sit in dominum Feudi, tanquam Arbitrum, compromittere. Hinc debiliori paululum nititur fundamento assertio illorum, qui Con-Vasallis compromissa denegare conantur,

proba-

probabili ista ratione, quod in præjudicium domini, vel sine ejus consensu, ineantur, quod tamen, si dominus Feudi Arbiter eligatur & hoc in se recipiat, utique cessat impedimentum. De summi Imperii Tribunali, Camera nimirum Imperiali Wetzlariensi, quæritur inter Feudistas, an judicare de Feudis & in illam tanquam Arbitrum, in causa Feudali compromitti queat? Et primo quidem intuitu ex *Rec. Imp.* de Compromisso in Cameram affirmativa sententia aperte docetur. (e) Sed quoad competentiam judicandi circa Feuda, observari debet, an Feuda sint Regalia an non Regalia, tunc salva res erit. De magnis enim & regalem dignitatem annexam habentibus Imp. beneficiis, Cameræ judicium haud esse competens, non tantum ex ordinatione Camerali (f) sed ex ipso rerum usu, ubi, si de parte saltem Feudorum Regalium mota lis sit, non recipitur controversia, sed ad Cæsarem remittitur, manifestum est; (g) de minoribus vero illis, Regalique dignitate carentibus Imp. beneficiis, cognoscendi & arbitrandi facultas cum nulla Imp. lege Cameræ Imperiali adempta legatur, pro competenti utique judice hac in parte censendam esse plurimi putant. (h) Hinc arbitrandi facultas in Feudis istis Regalem dignitatem annexam non habentibus facto compromisso minime deneganda erit, cum econtrario in Feudis Regalibus cognitio Cameræ per compromissum sine consensu Majestatis Cæsareæ deferri nequeat. Regulariter vero causarum feudalium cognitio ad Aulicum Imp. Judicium probante Ordinat. Judic. Aul. (i) pertinet, cum compromissum in judicium Aulicum factum, facilius subsistat nec morte exspiret, id quod tamen si in personam certam factum

ſit compromiſſum, ſæpius accidit. Rem caſu decidamus. Caſus vero hic erit: Cajus & Titius Vaſalli contendentes compromittunt ſuper Feudo in Regem ſub nomine appellationis, ſuſcipitur arbitrium, ſed finitum nondum eſt. Moritur rex, utrum regni ſucceſſor in poteſtatem compromiſſoriam, ita ut valide ſententiam ferre poſſit, ſuccedat, quæritur? Per *c. quidem 14. X. de offic. & poteſt. Judic. deleg.* ubi delegatio facta dignitati, non expreſſo nomine proprio, pro ſucceſſore pronunciatur ſententia; ſed vero, veritati magis conſentaneum ac naturæ ejusmodi compromiſſi convenientius eſt, ſi exſpirante Arbitro & compromiſſum exſpirare aſſerere liceat, cum in hoc negotio perſonæ induſtria, quæ morte perſonæ extingui ſolet, videatur electa. (k) Cavendum interim erit perſonis Illuſtribus ne in exterum lubentius Arbitrum & forte potentiorem ſine ſpecialiori Imperatoris conſenſu compromiſſum faciant, cum & ſibi & imperio ſumma exin procreetur moleſtia atque pernicies, litesque cum litibus cumulentur. (l)

(a) SCHRAD. de Feud. P. X. Sect. 6. n. 23.
(b) MARC. ANTON. BLANC. de Comprom. Quæſt. 2. n. 42. SCHOTAN. exam. Jurid. P. I. Tit. 8. p. 208. CARPZOV. P. I. Conſt. Deciſ. 15.
(c) GROENWEGEN. ad L. 9. ff. *de Recept.* BRUNNEM. ad d. L. n. 2. MEV. Dec. P. I. Deciſ. 98. ITTER. de Feud. Imp. STRUV. ad ff. Tit. *de Recept.* Th. 99.
(d) LAUTERB. de Arbitr. Comprom. Th. 21. ZIEGLER. in not. ad Proceſſ. Sax. Tit. 1. verb. *per modum Compromiſſi.*
(e) REC. IMP. de Anno 1594. §. als auch der Compromiſs halber.
(f) ORDIN. CAM. P. II. Tit. 7.
(g) ITTERUS de Feud. Imp. Cap. XXV. n. 5.
(h) ID. l. c. n. 7.
(i) ORDINAT. JUD. AUL. Tit. 2.
(k) BRUNNEM. ad L. 13. C. *de Contrah. & Commit. Stipul.* n. 8.
(l) ITTER. l. c.

§. XXII.

§. XXII.

Controversiæ feudales cum coram Arbitris ventilari utique possint, certa tamen ut restrictione id fiat caute observandum erit. Enimvero dispositionem Juris Langobardici respicientibus nullum dubium superesse potest, hancce compromittendi licentiam etiam absque domini consensu tantum non diserte Vasallis indulgeri *in 2. Feud. 15. 34. j. 2. Feud. 43.* quæ sententia plurimis quoque arridet JCtis (a) ea tamen certis quibusdam metis ac limitibus inclusa ut asseratur, consultius duco. Nullius enim nisi domini directi hic vertitur præjudicium; cum autem admodum injuriosum foret domino directo, si in quavis causa Feudali arbitrium obtinere Vasallus, & Domini directi cognitionem excludere posset, probe observare tenentur partes litigantes ut, domino directo consentiente, arbitrio sese submittant adeoque optime sibi consulunt, si in causa dubia, an Arbitrum admittat? Domini directi confirmationem exorent, prout recte monuit VVLTEIVS. *l. c. n. 4.* (b) Hac vero adhibita cautela, plerique, qui alias dissentire videntur, conciliari forte poterunt. Dubia hoc loco observari meretur a multisque agitata quæstio, an Illustres Imperii Vasalli, ubi Arbitrum quendam, qui discutiendis illorum feudalibus litibus ordinario ac vero juris ordine servato vacat, sibi constituerint, feudis suis sint mulctandi? Omnes pene Feudistarum cohortes quod jure feudis priventur, clamitant, (c) sed ex æquo & bono res dijudicari potest. Ipsa enim, quanquam Cæsarea Majestas Regalium Imp. feudorum cognitionem expresse sibi reservaverit, (d) eoque ipso a nemine, sibi jurisdictionem præripi passuram esse, abunde declaraverit;

verit, nihilominus tamen Feudorum privatio nondum locum habebit. Nec omni exceptione major eſt aſſertio, qua ſemper aliquid illiciti in ſe habere ejuſmodi arbitria compromiſſoria, eo quod vix evitari poſſit, ut non detrimenti aliquid exinde patiatur Summa Imp. Jurisdictio, ſtrenue a multis probatur; ſi enim bona fide, nec non ſalvo jure Imperii ineantur compromiſſa, non injuſtitiæ ſtatim aut imminutionis jurisdictionis Cæſareæ ea accuſare vellem. Tutius tamen agere litigantes, ſi ad præcavendas litium ambages, ſpeciali Cæſaris conſenſu compromiſſa corroberent, haud denegabo, imprimis ſi in exterum forte ab Imp. Principibus factum ſit compromiſſum, ubi, an ſine ſpecialiori Imp. permiſſu validum quid peragi poſſet, non incongrue dubitandum erit; unde in cauſa Palatina Wildfangiatus ſupremum arbitrium die Ober-Obmannſchafft, ſibi expreſſe reſervavit Cæſarea Majeſtas. (e) Alia forte ſuberit ratio ubi controverſia feudalis alienationem feudi regalis concernit, quo caſu ipſi ac ſoli Imperatori de feudis regalibus cognoſcendi competit poteſtas, non tantum ex Domini directi immediati principio, ſed & quia Ducatuum & Comitatuum ſimiliumque feudorum regalium cauſæ ſalutem, pariter ac periculum Reipublicæ Germanicæ proxime attingunt, quibus ut optime proſpiciatur officium majeſtatis Cæſareæ utique poſtulat. (f) Nec controverſiæ conſulitur, ſi jam coram Arbitris compromiſſariis cauſa agitari cœperit, cum avocare eam Imperator vel per Reſcriptum, ne ulterius procedatur, inhibere poterit, quæ controverſia in Imp. jam ſæpius ventilata fuit. (g) Quamvis vero gravius in illos fuit animadverſum, qui

absque

absque consensu Domini directi alienare feuda conati sunt, subinfeudatio tamen Vasallo, licet quodammodo species sit alienationis, sine consensu Domini, ut scilicet de feudo sibi concesso aut parte aliqua alterum investire possit, quanquam circa Principes Imp. dubia quæstio oritur ac ratio plane contraria obtinet, (h) moribus feudalibus permittitur, *2. Feud. 9. pr.* simulque causa, quæ subinfeudationem concernit, Arbitri cognitioni relinquitur, cum e contrario, si inter duos Vasallos contentio de Feudo orta sit, in Dominum mediatum & superiorem illis compromittere non liceat, quia ipsi Domino immediato soli cognitio jure competit. (i) Sed & aliæ adhuc supersunt causæ de quibus si lis super illis sit mota, extra forum Domini coram alio judice vel Arbitro commode decidi potest. Ita de feudis hæreditariis, quæ alienationi pro lubitu Vasalli possidentis obnoxia sunt, nullum superest dubium, quin super his coram Arbitro contendere liceat. Compromittendi enim Vasallorum licentia circa ea solummodo feuda restricta est, quæ alienationi non sunt subjecta; jam vero cum feuda dantur, quæ licite Vasallus oppignorare, vendere aliove sub titulo alienare potest, nulla ratio patet, quæ ipsi obest quo minus circa illa in Arbitrium boni viri compromittat. Porro de Hypothecæ constitutionibus, & servitutis impositione, utut speciebus alienationis. *L. fin. C. de reb. alien. non alien.* eadem obtinet ratio Vasallus enim quanquam servitutem feudo imponere, ipsiusque conditionem, sine domini voluntate vel eorum agnatorum ad quos per successionem pertinet, deteriorem reddere non potest, *per 2. Feud. 8. §. e contrario*, nihilominus si lis inter creditorem hypothecarium & Vasallum, illumve,

H qui

qui ſervitutem Feudo impoſitam prætendit orta ſit, Arbitro controverſia ſubjicienda erit, cum omni jure ratio conſtet, quod, ſi unus litigantium non ſit Vaſallus, cognitio cauſæ ad dominum directum transferri non debeat (k). De eo ſaltem ſollicite controvertitur inter multos, an, ſi controverſia de Feudo regali inter fratres, agnatosve ſaltem dividendo exorta ſit, res litigioſa Arbitri ſententiæ ſit ſubjicienda? plurimis pro negativa ſententia militare viſum fuit, rationibus *ex 2. Feud. 55. §. fin. & L. 1. C. Commun. utr. Jud. L. fin. ff. de permiſ.* nec non ex celebri Imperatoris Friderici I. conſtitutione de non dividendis Principatibus. Verum quia Conſtitutio iſta in Germaniæ mores nondum tranſiit, ita ut de ipſius obſervantia merito dubitetur, neque hoc loco de Feudo in extraneum transferendo vel adjudicando controverſia moveatur, ſed de diviſione ſaltem inter Principes fratres, quibus inveſtituram Imperator æqualiter concedit, quæratur; Arbitrum etiam de tali cauſa, cum Domino directo nullum inde naſcatur præjudicium, utpote qui ad feudi ſucceſſionem ſimul eos admiſit, laudum pronuntiare poſſe minime erit ambigendum. (l)

(a) VVLTEJ. Lib. I. de Feud. Cap. 2. n. 3. & SIXTIN. L. 1. de Regal. cap. 8. n. 60.

(b) ITTERVS de Feud. Imp. Cap. XXV. §. 23.

(c) KLOCK. Conſ. 20.

(d) ORD. CAM. P. 2. T. 7.

(e) SIXTIN. de Regal. l. c. ROLAND a VALLE V. 4. Conſ. 22. n. 17. MYLER. ab EHRENB. de Princip. & Stat. Imp. c. 20. §. 17. STRAVCH. Differt. Jur. Publ.

(f) Faciunt huc verba ORDINAT. CAM. IMP. P. 2. c. 7. ſo einem Theile gänzlich und endlich abgeſprochen werden ſolle, rc.

(g) Ita cum Albertus Brandenburgicus tum temporis Archi-Epiſcopus Magdeburgenſis de Burggraviatu Magdeburgenſi litem intentaret Electori Saxoniæ, eo quidem nomine in Arbitros eſt

compro-

compromiſſum. Verum huic compromiſſo peculiaribus hanc in rem publicatis Reſcriptis obluctabatur Cæſarea Majeſtas, & controverſiam ad ſe revocabat, addita ratione, quod per ſanctiones feudales Vaſallus ſine conſenſu Domini directi de re feudali in Arbitros compromittere non poſſet; tunc enim, cum inter duos Vaſallos rem feudalem ab eodem Domino recognoſcentes, lis vertatur, Domini directi potiſſimum fundatur jurisdictio per 2. Feud. 55. §. 2. in fin. ibi: *Si inter duos Vaſallos de feudo ſit controverſia, Domini ſit cognitio & per eum terminetur.* Reſpondit HIERON. SCHVRF. cum inter multos ad ipſum in hac cauſa ut reſponſum daret itum fuerit. Cent. 2. Conſ. 53. eadem ratione, & ſub & obreptitiis Reſcriptis, ſi impetrata fuerint, locum non reliquit, & ceſſare diſpoſitionem cenſuit, cum nullum damnum inde aut præjudicium Domino directo inferri putaverit. j. 2. Feud. 15. Conf. HORTLEDER. de Cauſ. Bell. Germ. p. 1088. n. 10. STRAVCH. Diſſ. Jur. Publ. XI. §. 7. ITTERVS de Feud. Imp. Cap. XXV. § 22.

(h) HERTIVS P. II. de Feud. oblat. §. 9. MENOCH. L. 1. Conſ. 32. n. 1. ſqq.

(i) SCHRADERVS de Feud. P. 10. Sect. 2. n. 45.

(k) STRYCK. Exam. Jur. Feud. Cap. XIX. qu. 22.

(l) ITTER. de Feud. Imp. Cap. XIII. §. 10. ROSENTH. de Feud. Cap IX. Concl. 56. n. 5. SCHVRF. Cent. 1. Conſ. 17. n. 5. Cent. 2. Conſ. 37. n. 1. GAIL. Lib. 2. Obſ. 153. n. 2.

§. XXIII.

Plura equidem, de Proceſſu ſcil. coram Arbitro Civili & Feudali inſtituendo, aliisque cauſis, quæ ad hoc argumentum pertinent, tibi L. B. debebantur. Aſt hæc non pro nobilitate materiæ, ſed inſtituti & brevioris temporis ratione dicta ſunto. Diu equidem ambiguis meditationibus deliberavi, an feliciter me huncce laborem ſubire, in viribus poſitum ſit? Ipſa deterrebat ingenii imbecillitas, meæque ætatis conditio, quæ vix aliquid, quod doctioribus ſeculi noſtri jure placere poſſet, me in lucem poſſe proferre, plane perſuadebat. Sed

audere

audere aliquid non turpe judicavi, meque cunctantem impulit QVINTILIANI præceptum: Non differendum eſſe tyrocinium in ſenectutem: nam quotidie metus creſcit, majusque fit ſemper quod auſuri ſumus, & dum deliberamus quando incipiendum ſit, incipere jam ſerum eſt. Quare fructum viridem, & adhuc dulcem promi decet, dum venia & ſpes eſt, & paratus favor. Et audere non dedecet, & ſi quid deſit operi, ſupplet ætas, & ſi quæ dicta ſunt juveniliter pro indole accipiuntur. Famæ atque ingenii gloriolam hiſce pagellis non quæro, quippe mores eorum, qui vacuum plus nimio gloria verticem tollunt, non ſequor. Prodiit potius cum quadam fiducia labor noſter, ac variorum vario ſeſe ſubjecit judicio. Tu Benevole Lector, ſi æquam ſuper eo dixeris ſententiam, ſtare eidem convenit; ſi iniquam, ad Arbitrium boni viri ut provocem non repugnabis.

DEO SIT LAVS ET GLORIA.